Digitized by Google

8
4-B
26

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 D
17

~~81-E-33~~
8.-4.B:26
~~6-6.E 33~~

# DE ANTIQVO STATV BVRGVNDIAE LIBER.

Per Gulielmum Paradinum uirum eruditionis multæ, atque iudicii non uulgaris.

AD AMVSSIM DOLO,

SCABRA, ET IMPOLITA



ATQVE PERPOLIO.

LVGDVNI,

[redacted].

1542

Cum Priuilegio Regio.

Bibliothe. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

## *Extraict du Priuileige.*

PAR le dón,& octroy du Roy il eſt permis à Eſtienne Dolet d'imprimer,ou faire imprimer touts liures par luy compoſés,& traduicts:& touts aultres œuures des Autheurs modernes, & antiques, qui par luy ſeront deuement reueus,amendés, illuſtrés,ou annotés, ſoit par forme d'interpretatión, ſcholies, ou aultre declaration: tant en lettres Latines,Grecques,Italiennes,que Françoyſes. Et eſt faicte inhibition,& defenſe à toutes aultres perſonnes quelconques ſur peine de confiſcation de leurs Liures,& aultre amende arbitraire de n'imprimer,ou faire Imprimer,ne expoſer,ou faire expoſer en uente au Royaulme de France, ny aultre part, leſdicts Liures, & œuures ſur les copies, & exemplaires dudict Dolet dedans le terme de dix ans,à compter du iour, que leſdicts Liures ſeront Imprimés, comme il eſt contenu plus amplement en l'original de ces preſentes. Donné à Moulins le ſixieſme iour de Mars,l'An de grace mil cinq cents trente,& ſept, Et de ce Regne le uingt,& quatrieſme.

*Par le Roy, Monſeigneur le Cardinal de Tournon preſent.*

Signé de la Cheſnaye, & séellé du grand ſeau en cyre Iaulne.

# ANTIQVI STATVS BVRGVNDIAE LIBER.

Per Gulielmum Paradînum.

*Vnde dicti Burgundiones.*

BVRGVNDIONES primi generis Germanorũ fecit Plinius his ferè uerbis. Nam Germania multis poſteà annis nec tota percognita eſt : coniectare permittitur, ut multũ abſit Græcorũ opinio à lõgitudine ab Agrippa tradita. Genera Germanorum quinque. Vandali, quorum pars Burgundiones, Varini, Guttones. Hæc Plinius. Horum nomen Auguſti principatu primùm natum ferunt à Burgis paſsim ſtructis, ut uult Oroſius. Tametſi uetuſtius uideatur, quàm quod ſub Octauiano Augu. editum ſit, aut primùm Germaniæ, & Galliæ inuectum : nam fuiſſe gentem uetuſtiſsimam, ac uelut ex terra ortam, cum multa alia, tum uerò idipſum probat,

*Burgundiones Germanici generis.*

*Quinq; genera Germanorum.*

*Burgund. pars Vandalorum.*

*Burgund. à Burgis.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bat, quod Plinius eſſe primæ Germanicæ originis ſcribit. Agathias Græcus Aſiæ populos ab Hunnis, & Scithis Cotrigoros, Vltizuros, & Burguziones deriuat, ac circa Meotidem paludem ſedes habuiſſe, & celebres ad Leonis uſque Imperatoris tempora permanſiſſe, ſcriptum reliquit: cuius uerba ob prodigam uerborum dilatationē conſultò obmiſimus. Hunc uerò miror alio quodam loco Burgundiones Gothici ſanguinis feciſſe: cùm Mamertinus dicat hos à Gothis penitus exciſos, Alemanorum agros citra ſanguinem occupaſſe: nimirum fortè ob uicinitatem Gothi exiſtimabantur. Soll. uerò Apollinaris Sidonius (qui multis honoribus ſub Zenone, Maioriano, Anthemio Augg. perfunctus, tandem uerò ad Aruernorum Epiſcopat. euectus: quiq; quatuor millia egenorum, dum in Burgũdia fame laboraretur, ſuo ſumptu pauit) Burgundicæ emigrationis non auritus tantùm, ſed oculatus etiam teſtis, hos inter extremos Septentrionis populos enumerat, ſic ad Maiorianum ſcribens: Baſterna, Sueuus, Pannonius, Neurus, Cunnus, Geta, Dacus, Alanus, Bellonotus, Rugus, Burgundio, Veſus, Alithes, Biſſaltha, Oſtrogothus, Procuſthes, Sabomatha, Moſchus. Idem ad Auitum: Gepida trux ſequitur, Scothum Burgundio cogit. Hos autem à Caſtellis limitum, quæ Germanorum lingua Burgi dicuntur, dictos (ut dixi) conſtans fama eſt: qua in ſententia Oroſius, Diaconus, atque alij ſunt. Nam & poſteriores Romani Burgum uocabãt caſtellum: quod Flauius Vegetius

*Burguziones.*

*Burgund. uicti à Gothis.*

*Sidonius Apollinaris Aruernorũ Epiſcopus.*

*Burgi caſtella.*

Vegetius teſtatur. Quòd ſi ultra iactum lapidis (inquit) in cliuo tamen ſubiecta ſit uena, caſtellum paruulum, quem Burgum uocāt, inter ciuitatem, & fontem conuenit ædificari, ibiq́ baliſtas, ſagittariosq́ conſtitui, ut aqua defendatur ab hoſtibus. Porrò cùm Burgundionum ampliſsima gens eſſet, ſuasq́ uires munitis ſubſtructionibus firmarent, uetuit Tiberius, cui illorum iam ſuſpectæ erant uires, ne pagos cingerent mœnibus, quò facilius, ſi quid mouerent, cōpeſcerentur. Cùm uerò Tiberio minus eſſent dicto audientes, in Scandauiam inſulam pulſi dicuntur. Cuius rei meminit Cornelius Tacitus. Auguſti quoque (inquit) temporibus ea pars Vandalorum, quibus etiam Burgundionibus tum fuit nomen, ad octoginta armatorum millia ulteriores Rheni ripas inſederūt: quos Druſus, & Tiberius, poſt ſubactam interiorē Germaniam in ſedes proprias repulerunt, & extra urbes, munitaq́ loca diſsiparunt. Idem innuit Velleius Paterculus libro ſecundo: ubi ſic ſcribit. Auguſtus Cæſar haud mediocris belli molem per Tiberium Neronem experiri ſtatuit, adiutore operis dato fratre ipſius Druſo: quippe uterq́ diuiſis partibus Rhetos, Vindelicosq́ aggreſsi, multis urbium, & caſtellorum oppugnationibus, necnon directa quoq́ acie feliciter functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficilimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo, quàm damno Romani exercitus, cum eorum plurimo ſanguine perdomuerunt. Hîc autē Rheti, & Vindelici uocitantur etiam

*Tiberio ſuſpectæ Burgund. uires.*

*Tiberius, & Druſus aduerſus Burgund.*

Burgundiones, quòd in ipſorum agro tum uulgò habitarent. Cuius etiam belli per Tiberium Neronem profligati mentionem inijcit Horatius. Maior Neronum mox graue prælium cõmiſit: immanesq; Rhetos, auſpicijs pepulit ſecundis, ſpectandus in certamine martio. Audi Burgũdiones extra urbes, munitaq; loca diſsipatos. Hoc eſt extra Burgos ſuos, ſiue arces: nam Græci πύργον turrim uocant. Hi enim pleraſque Græcas uoces ex Aſia (in qua uerſatos docuimus) in Germaniam importarunt. Huius igitur nominis in hanc diem monimenta extant, arces, ciuitates, propugnacula, quæ uagi toto orbe Burgundiones aut excitarunt, aut inſtaurarunt: uelut in Germaniæ mediterraneis Albus Burgus, antiquis dictus

*Alcimœus.*

Alcimœus. In Vindelicijs Kyemburgus, antiquis Corrodunum. Vuaſſelburgus, olim Valatum. Vuichelburgus, olim Piſoniũ. Et Vualtemburgus monaſterium ſupra Ratiſponam: certiſsimum, ex magnis ædificiorum ruinis fuiſſe antiquitus Artobrigam. Altemburgus, Memburgus, iuxtà Dannubium. Extemburgus, Azelburgus ciuitas antiqua dicta olim Auguſta Acilia. Deinde in Pannonia inferiore Clauſemburgus, in Heluetijs Bibelburgus, & Straburgus, olim Argentoratum. In Treueris Lucemburgus. Limburgus, nunc Ducatus, quo potiti ſunt poſteriores Burgundiæ Duces. Falkemburgus: & hic ducatus (ut nunc uocant) in Menappijs, qui olim Vbijs uerſus occidentem hærebant. Aſciburgus ciuitas Sycambrorum, Lunemburgus Chaucorum

*Corrodunũ. Valatum. Piſonium. Artobriga. Auguſta Acilia. Argentoratum.*

corum inter Saxones Ducatus, quos Cornelius Tacitus nobiliſsimos Germanos uocat. Rurſus apud Cymbros Hymburgus: in Rhetia prima ſub Danubio Roccemburgus: qua in parte ponit Ptolomæus Bragodurum. Denique apud Secuſianos Burgus urbs ampliſsima, quam olim forum Secuſiacum dictam ſuſpicor.

*Bragodurū*

Hanc cum reliquis Secuſianis ſuperioribus annis Franciſcus Rex inuictiſsimus Alpino bello in deditionem accepit. Verùm ſi quis non omnes huiuſmodi ciuitates, arces, atque id genus à Burgundionibus ædificatas, excultas'ue contendat, non admodum pugnem, modò Græcæ uocis ueſtigium Germaniæ à noſtris illatū admittat. Nec enim me fallit Germanos totius Europæ antiquiſsimos in urbibus tamen conſtruendis poſteriores fuiſſe. Antiquitus enim pagi tantùm, non urbes, penes Germanos extitere, quorum centū Sueuorum fuiſſe author eſt Iulius Cæſar. Cētum (inquit) pagi Sueuorum referuntur, ex quibus multa millia militum quotannis bello partim, partim agriculturæ deducuntur.

*Paucæ urbes Germanorum.*

*Centum pagi Sueuorū.*

Cornelius Tacitus refert Germaniam cœlo aſperam, ſolo informem, nullam ciuitatem, tantùm caſulas quaſdam compactas habuiſſe, Germanosq́ iunctas inter ſe ſedes nō pati. Huc pertinet, quòd Cæſar ante quatuordecim annos non ſubijſſe tectis Germanos indicat. Idem penè commemorat Herodianus in hæc uerba. Regionem autem Germanorum Cæſar depopulabatur maturis iam ſegetibus: uicosq́ omneis incendendos, diripiendosq́ militibus tradebat: rarò

*Caſulæ in Germania.*

*Germani iunctas ſedes inter ſe pati non ſolebant.*

autem apud Germanos è lapide, lapidibusq́; coctilibus, aut lateribus ædificia fiunt. Denſis etiam ſiluis, quarum confixis, coagmentatisq́; lignis quædam, quaſi tabernacula ædificant. Ammianus Marcellinus iuxta Rhenum in ripis ulterioribus planè nullam ciuitatem uideri aſſeruit. Nihil itaque mirum, ſi tam multos uicos Burgundiones, ad nocturnos motus arcendos in Germania, Galliaq́; poſuerint, in hoſtico ſemper degentes: & ſubinde ſedes nouas circumagentes.

*Vltra Rhenum nullæ ciuitates.*

## *Ex qua gente orti Burgundiones.*

QVòd autem Plinius Vandalorum partem eſſe ſcripſit Burgundiones, quos inter Germanicæ gentis appellationes, & uera antiqua nomina recenſet Corn. Tacitus, prius, qui olim fuerint Vandali, noſſe refert: atqui hi fuere inter Gothos, & Gepidas, à quibus in Scithiam propulſos ſcribit Procopius: nam hos uſque eò exagitarunt, ut circa Meotidem conſediſſe conſtet. Hodie autem, quę fuerit gens Vandalorum, penitus ignoraremus, niſi uernacula Saxonum lingua hoc uocabulum conſeruaſſet, ubi inter eos, qui olim Vandali, nunc Vanden uocitentur. Ea gens ad mare Germanicum à ueteri ciuitate Holſatiæ, per Germanici maris littora, orientem uerſus pertingit in Poloniam. Cuius etiamnum Vandalicæ urbes antiquo nomine cenſentur, Lubica, Viſmaria, Roſtochium

*Vbi Vandali.*

*Vanden.*

*Vrbes Vandalicæ.*

chium, literarum ſtudijs nobile, Stralesmunda, Sam burga, & Rusſia Vandalorum regia, quam Plinius Roxilanam, Strabo Roxanos appellat, ad Aquilonem ſpectantes, inter Tanain, & Boriſtenem: quos ſupra quis habitet, ignotum. Hi igitur Cæſaris Augusti ætate ex ſuis regionibus emigrarunt ingentibus coitionibus: deinde prælijs uarij euentus cum Romanis commiſsis, ſimultates ad Valentiniani uſque principatum traxerunt: qua ætate Francorum, Gothorum, Hunnorum, exemplum ſecuti inuolarũt in prouincias Romanas à mari Balthico ad Danubium uſque: quas ſedes à Conſtantino, quem magnum uulgus uocat, obtinuiſſe feruntur: pars uerò Dalmatiam, Hiſtriam, Croaciamq́; cõceſſere, Maurici) Auguſti temporibus. Quorum meminit Diuus Gregorius, qui tum Romæ ſupremũ ſacrorum antiſtitem agebat. Pars uerò in Aphricam per Pyrenæum, atque Hiſpanias populabunda peruenit. Qui ad mare Balthicum agebant, Pyraticam ſummo in honore habuerunt: unde cum Danis frequentes conflictus. Leo etiam, qui primus Græci ſanguinis Imperium tenuit aduerſus Genſericum illorum regem, Baſiliſcum ducem amiſit: qui (ſiue illud ignominia, ſiue proditio fuerit) uictus nauali prælio à Vãdalis, tum nauticæ peritiſsimis aufugit. Pyratas Vãdalos Sidonius Apollinaris indicat fuiſſe in Panegyrico ad Cæſarem Iul. Maiorianum, Cùm concitus agmine toto In pugnã pyrata coit: pars lintre cauata, Iam dociles exponit equos, Et rurſus: Pinguis

*Roxani.*

*Vandali Pyratæ.*

*Leo imperator à Vandis uictus naualì pugna.*

per tranſtra ſedebat Vandalus, opperiens prædam.
*Vandali in Betica Hiſpaniæ. Vandaluſia.* Cæterùm, qui Vandalorum in Hiſpaniam Honorij principatu deportati ſunt, Beticam incoluere ad fluuium Hiſpalim: qui tractus poſteà Vandaluſia dictus eſt. Nec tamen ignoro fuiſſe diuerſam à Vindelicijs gentem, qui prouinciales fuere ſubditi Romanis, ſub poteſtate ducis Rhetiarum. Vandalus fuit *Stilico Vandalus.* clariſsimus, glorioſiſsimusq́ Stilico Theodoſio imperatori commendatiſsimus: in cuius familiam Stiliconis filia enupſit: ipſeq́ uiciſsim Cæſaris filiam ſibi matrimonio copulauit. Huius curæ, ac fidei rerum occidentalium per illa tempora nutantium ſumma mandata eſt: nimirum cùm infinita, intolerabilis'q́ Barbarorum colluuies Romanas prouincias hoſtiliter ſuppillaret, quanta autem, quamq́ felici celeritate motus in Germania ſedarit, canit elegantiſsimè uates Claudianus: à quo nihil adulantius dictum *Stilico Gothos uicit, gentemq́ extinxit.* iudicabit, qui Stiliconis res geſtas æquo leget animo. Hic enim Ruffinum tyrannum Imperio deturbauit, Arcadio'que aſſeruit Radagaſum Gothorum regem, in Feſulanis anfractibus concluſum, atque in fuga comprǽhenſum, carceris pedore extinxit, uniuerſa gente Gothorum ſemel cæſa. Miror autem Oroſium quadam animi impotentia uirulento ſtilo ducem nobiliſsimum confodiſſe: qui Galliam, Hiſpaniam, Aphricam à prædonum populationibus eripuit. Cui etiam hoſti deſignato Romanæ ceſſere legiones. Hic Honorij dolo tandem occubuit: quo cæſo Roma ab hoſtibus direpta, fruſtra ſuum liberatorem

ratorem deſiderauit: qui paulò ante Italiam à ducen-tis Barbarorum millibus repurgarat. A Vandalis igitur, qui apud autorem ſummum, inter Germani-cas gentes primas tenent, fluxere Burgundiones. *Vandali primi Germanorum.*

## *Multos Germaniæ populos in Galliam penetraſſe.*

GAllorum pleroſq; à Germanis ortos eſſe ſcribit Iulius Cæſar, Rhenum'que olim tranſuectos, propter loci fertilitatem in Gallia conſediſſe, Gallos'que, qui ea loca incolerent, expuliſſe: idq; ſe à Rhemis edoctum, quorum Cymbri, ac Theutones relictis auitis ſedibus in Galliam tranſgreſsi ſunt, quos Romanorum Legati, cùm in ordinem cogere nituntur, Sillanus'que, ac Seruilius Cepio, ac Manlius ab his caſtris exuti, fugati ſunt: quos tamen poſteà uicit Marius ad Aquas Sextias. Diuus Hieronymus ad Gerontiam. Gens Theutonum (inquit) ex ultimis Germaniæ profecta litoribus, omnem Galliam inũdauit, ſæpius'q; cæſis Romanis exercitibus apud Aquas Sextias Mario pugnante ſuperata eſt. Triboci etiã Mediomatrices peruaſere. Poſt Heluetios (inquit ſtrabo) Sequani, & Mediomatrices conſtituerunt regnũ, in quo Triboci natione Germani relicto natali ſolo, Rhenoq; traiecto, ſedes poſuerũt. Deinde Nemetes, & Vangiones in Galliam commigrarunt: tum Vbij etiam, atque Sycambri: qui ut ſe Romanis dederent, fatetur

*Galli à Germanis.*

*Cymbri, ac Theutones German.*

*Triboci.*

*Nemetes, et Vangiones.*

*Vbij, & Sycambri.*

religionis ergò triumpharunt: nulli pulſos Roma pontifices toties reduxerunt, atque ab externa iniuria texerunt. Quo factũ eſt, ut horum Christianiſsimi reges dicantur: quodq́ꝫ comprimis honorificum habetur, Chriſtiani omnes uno Francorum nomine apud Turcas, & barbaros cenſentur, quòd à nullis plus cladium ſit inuectum. Quod autem de quatuor Francorum regibus ſiue cæſis, ſiue captis à me dictum eſt, eò tendit, ut doceam Francorum reges ſanguinis, ac uitæ prodigos nunquàm arma detrectaſſe pro libertate, atque imperio. Prodit Eutropius ſub Valeriano, et Gallieno Alemanos exhauſtis Gallijs in Italiam penetraſſe. Idem accidit ſub Maioriano. Pulſi etiam ueteres Britãni ab Angloſaxonibus Armoricas Galliæ ciuitates ad mare inuaſere. Quanta autem ui in eos impreſsionẽ fecerint Saxones, indicat, quòd ad Aetium ducem in hæc uerba ſcripſere. Aetio uiro illuſtri, ac patritio I I I. conſuli, gemitus Britannorum, S. Repellunt barbari ad mare, repellit mare ad barbaros, inter hæc oriuntur duo genera funerũ: aut iugulamur, aut mergimur. Taceo Hunnos, Gothos, atq́ꝫ alios, qui ſedes etiã in Gallia multis locis ſortiti ſunt, præſertim in Belgica apud Auxitanos. Huc etiam pertinet, quod Flauius Vopiſcus tradit, Probi Impe. principatu Gallias planè à Germanis poſſeſſas fuiſſe. Burgũdionum igitur nomen in Galliam ex Germania tranſportatum notius iam eſt, quàm ut fuſius inculcari debeat. Nortmanni autem omnium poſtremi in Galliam irruerunt, quorum

*Laus regum Francorum*

*Angloſaxones.*

*Gothi in Belgica.*

*Nortmanni.*

rum nomen ſub ultimis Caroli cognomento magni temporibus auditum eſt, Galliæ'q; magnam uaſtitatem intulere, ac laudem in Neuſtriæ finibus conſedere Carolo Simplice rege Francorum ad eas neceſſitudinis, ac fœderis leges perducto, ut filiam Gilloni Nortmannorum Duci Danici generis paciſceretur. Tametſi non ignorem Theodebertum Theodorici regis filium Danos, iam inde ab initio agros Mediomatricum infeſtantes deuiciſſe: quo tamen tempore, nomen gentis illius nōdum auditum erat. De huius gentis fatali, ferociq; irruptione legitur in præfatione quadam Meldēſis Synodi: quæ facta eſt anno domini Dcccxlv. quia diuinas iuſsiones, nō eſt ſecuta obediētia, dedit dominus ab Aquilone (unde iuxta Prophetam, pādetur omne malū) dignos meritis noſtris Apoſtolos, crudeles uidelicet, & immaniſsimos Chriſtianitatis perſecutores Nortmannos: qui Pariſios uſque uenientes, quod iuſsit dominus, monſtrarunt. Hos ſanè reliqui Galli probroſis cognomentis, ac pudendis appellationibus inſectari ſolent, ueluti callidos, ac uerſipelles. Quare autem tam multæ nationes ſeipſas ex Germania toties Galliæ ſuperfuderint, docet Cornelius Tacitus. Semper cauſa (inquit) Germanis & tranſcendendi in Gallias libido, atque auaritia, & mutandæ ſedis amor, ut relictis paludibus, ac ſolitudinibus ſuis fœcundiſsimum hoc ſolum, uos'que poſſiderent.

*Malum ab Aquilone.*

Prima

## *Prima Burgundionum inter Alemanos immigratio.*

IN Germaniam igitur primùm migra- | *Burgundiones inter Alemanos.*
runt Burgundiones, terra, mari'ꝗ Ro-
mani Imperij uaſtatores: cuius tamẽ gen
tis ueluti ex funere quodã uix ſupereſſe
reliquias uidemus. Quoniam uerò inter Aquilona-
ris tractus incolas annumerauimus, ſimul unde emer
ſerint, cõſtat, operæprecium me facturum exiſtimo,
ſi, in quam Germaniæ partem trãſierint, proponam.
Ammianus Marcellinus de Cæſare Iuliano loquẽs,
qui Alemanorum regibus Romanum imperium de
trectantibus bellum illaturus ponte ad Mogontia-
cum excitato, copias Rhenum traduxerit, cùm uen-
tum (inquit) fuiſſet ad regionem, cui Cappellatij, uel | *Palatinatus hodie dicitur, qui olim Palas.*
Palas nomen eſt, ubi Terminales lapides Alemano-
rum, & Burgundionum confinia diſtinguebant, ca-
ſtra poſita: ubi Macreano, & Ariobauldo, Vidoma | *Terminales Burgundiæ lapides.*
rio, Vrio, Vrſino, & Verſalpo, regibus Alemano-
rum pax obſecrantibus eſt conceſſa: nam Romani,
cùm Reges, Regales, id eſt regum filios ab Ortarij | *Regales regum filij dicti.*
regis (is Iuliano audiens erat) conuiuio ad multam
noctem uenientes excepiſſent, eorumꝗ cuſtodes in-
teremiſſent, non prius fugientes, & noctis beneficio
elapſos, inſequi deſtitere, quàm metu perculſos in
deditionem acciperent. Hæc Ammianus. Audis Ale
manorum, & Burgundionum confinia lapidibus
fuiſſe diſtincta, non procul ab eo loco, qui Capella-

tium, ſiue Pallas dicebatur: quæ regio hodie eſt
Pfalzia. Palatinorum comitum: eam Palatinatum, aut Pfal-
ziam hodie uocant. Cæterùm Burgundiones in A-
lemanorum agros ui, nec citra ſanguinem erum-
pentes apud eos ſedes poſuere: quos prohibere, co-
hibereq́ue, cùm crebrò tentatum non ſuccederet, tan-
dem conuenit, ut illic ſedes unà figerent, quòd pa-
cem, quàm bellũ gerere propius erat. Nec enim po-
tuiſſent aduenas ui finibus pellere. Poſt autem an-
nos aliquot, cùm gentem potentiſsimam, ac tantùm
hoſpitio ſuſceptam nollent in illis ſedibus coaleſce-
re, augerí'ue, Alemani res repetitum uentitabant,
Mamertinus. Burgundiones autem Alemanorum
agros occupauere: ſed ſua quoque clade quæſitos.
Alemani terras amiſerunt, ſed repetunt. Quo pri-
mùm uerò tempore uiſi in Germania Burgundio-
nes, Cornelius Tacitus docet: qui Auguſti Cæ-
ſaris principatu hos ſcribit ad octoginta armato-
rum millia, Rheni ripas inſediſſe. Hanc uerò ſuſpi-
cor repentinam fuiſſe incurſionem: nec licuit diu-
tius illic tum conſidere: ſed in ſuas ſedes reuolare à
Tiberio, & Druſo adacti ſunt extra urbes, muni-
ta'que loca diſsipati. Siquidem ſequentibus annis
fuerunt à Gothis propulſi, quorum cladem miſerti
Germani arma in Gothos ſumpſere, tutandorum
hoſpitum iure gentium cauſa. Quare ſuſpicor, inter
eos aliquid uel fœderis, uel amicitiæ interceſsiſſe.
Id Nazarius in Genethliaco ad Maximianum Au-
guſtum, in hanc ſententiam exequitur. Gothi Bur-
gundio

gundiones penitus excindunt: rurſus pro uictis ar‑mantur Alemani. Quare igitur ad tegendos armis Burgundiones, Alemani arma ſuſciperent, non ui‑deo, niſi propter ueterum ſedium uiciniam: unde fa‑ctum tamen, ut fruſtra Alemanis reclamantibus ſuis agris Burgundiones pellerentur, ac ſedis inopes diu uagarentur: donec Alemanis amicis ſeipſos rurſus coniungerent. Intereà uiolenta illa irruptio diſcor‑diam, ut ferè fit, excitauit: quæ eò uſq; progreſſa eſt, ut iterum coacti ſint, in quas dij ſubinde dediſſent augurijs, ſedes migrare.

## *Status Galliæ ante Burgundionum aduentum.*

BVrgundiones ab Alemanis extruſi, ac armis propè obruti cœpere in Galliam cogitare: quæ uniuerſi orbis Gentibus in prædam ceſſerat: ſed quis illius fuerit ſtatus integra re Romana, pernoſcendum prius uidetur, quàm uiolentam illam irruptionem attin‑gamus. Gallicas Romanæ ditionis prouincias fuiſ‑ſe, author eſt Sextus Ruffus Conſularis ad Valen‑tinianum Imperatorem. Lugdunenſem primam, Lugdunenſem ſecundam, Lugdunenſem tertiam, Lugdunenſem Senoniam. Belgicam primam, Bel‑gicam ſecũdam. Alpes maritimas, Alpes pœninas, & Graias. Aquitaniam primam, Aquitaniam ſecun‑dam. Nouempopulanam, Narbonenſem primam, *Gallicanæ prouinciæ.*

Narbonenſem ſecundam. Maximam Sequanorum. Hæ omnes à triginta Præſidibus regebantur, qui totidem in occidente pro Romanis fuiſſe dicuntur. Ex his prouincijs metropolim quandam caput habebant, cuius magiſtratum agnoſcebant, qui præſes dicebatur. Is rurſus uiro ſpectabili ſeptem prouinciarum uicario ſubditus erat: ſingulæ quoque prouinciæ ſuum ducem militarem ſortiebantur. Qui pro limitis cuſtodia perpetuum habebat præſidium, ut qui præeſſet Maximæ Sequanorum, dux per Sequanicum, ſiue Sequanici diceretur: qui prouinciæ, quam Rhodanus alluit, dux Rhodanici. Id nomen extat in ſaxo apud Turnoniam arcem, haud dubiè uetuſtiſſimam ad ripas Rhodani.

*Triginta præſides in occidente.*

*Vicarij ſeptem prouinciarum.*

*Dux prouinciæ.*

*Turnonium*

Imperatori Cæſar Diui
Traiani Parthici
Filio Diui Neruæ
Nepoti Traiano
Hadriano Aug.
Pontif. Max. Trib.
Poteſt. I I I. Conſ. I I I.
I I. Rhodanici
Indulgentiſs. Principi.

*Dux Rhodanici limitis.*

Sic legimus Septimium Seuerum Rhodanici fuiſſe ducem, & ſub Aureliano Imper. Cornelium quendam ducem Sequanici: Claudium uerò preſidem, cui ſuberat Cornelius: & tempore Zenonis Augu. Aegidium ducem Sequanici præfectorium: cuius filium Syagrium conſtat à Francis interfectũ. Et quia

*Dux Sequanici.*

ex Gallicis prouincijs quatuor Lugdunenſes cum Maxima Sequanorum penè peruaſere Burgundiones, de his nonnihil ſubiungemus, nihil interim admiſcentes, quod huius nō ſit inſtituti, aut obiter memorabile. Et quia id hodie nomen ad ſolos Sequanos rediјt, primùm, qui fuerint ueteres Sequani, perſequamur. Multò uerò maximum fuit huius gentis in Gallijs imperium: cuius fuiſſe fines latiſsimos, argumēto eſt, quòd Cæſar ſcripſit, Rhenum fluere per agrum Sequanicum: & in Sequanis cum Arioiuiſto conflixit: quæ pugna commiſſa eſt ad Diui Apollinaris: qui locus milliario Germanico à Rheno, & Baſilea diſtat. Vnde notum, Sequanos exteriores totam diœceſim Baſilienſem, hoc eſt, Songauiam, & loca Colmariæ uicina uſq; ad foſſam illam terminalem Exembachi riui amplecti uno ſuprà Sleſtadium milliario. Sequanorū uerò ante Cæſaris in Galliam aduentum Imperium tenuit Catamantales multos annos, & à Senatu, Populoq; Rom. amicus appellabatur: cuius filius clam perſuadebatur ab Orgetorige Heluetio regnum Galliarum affectante, ut imperium in ſua ciuitate occuparet: cuius tamen irritus conatus euaſit: nam cùm ab Heluetijs cauſam è uinculis ut diceret, adigeretur: damnatoq; pœna eſſet, igni ut cremaretur, ſibi ipſi mortem conſciuit. Sequanicæ autem gentis uires quantæ fuerint, ex hoc eſtimare licet, quòd tametſi Cæſar contracto ex prouincia Roma. exercitu: atque altero ex Italia euocato, tum etiam ponte reciſo, per quem ab Heluetijs ad Allobroges

*Rhenus in Sequanis fluit.*

*Arioiuiſtus in Sequanis uictus.*

*Catamantales Sequanorum princeps.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

broges tranſitus per Rhodanũ erat, nunquàm prohibere potuit, quin Heluetijs Sequani per ſuos fines tutum iter præberent. Deinde ex Diuitiaci Hedui oratione (qui id tẽporis eius ciuitatis facilè princeps habebatur) perſpici haud dubiè poteſt, quàm iniquis cõditionibus pacem à Sequanis Hedui rerũ alioqui in Gallia potẽtes redimerent. Sic enim ait: Quibus prælijs, calamitatibusq́; fractos, qui & ſua uirtute, & Populi Roma. hoſpitio plurimùm antea in Gallia potuiſſent, coactos eſſe Sequanis obſides dare nobiliſsimos ciuitatis, & iureiurando aſtringere, ciuitatẽ ſeſe, neq; obſides repetituros, neq; recuſaturos, quo minus perpetuò ſub illorum ditione, atque imperio eſſent. Vnum ſe eſſe ex omni ciuitate Heduorũ, qui adduci non potuerit, ut iuraret, aut ſuos liberos obſides daret. Hæc Diuitiacus. Hîc expende priſcorum robur Sequanorũ, qui Heduos gentẽ nobiliſsimam, antiquiſsimãq́;, ac latè (ut dixi) imperitãtem, cuiusq́; ciues à Senatu, Populoq́; Rom. fratres honorificè appellati eſſent, ad fœdũ, pœnitendumq́; iuſiurandum impulerint. Idem rem eandẽ lib. ſexto repetit. Cæſar (inquit) cùm in Galliam uenit, alterius factionis principes erant Hedui: alterius Sequani. Hi enim per ſe, cùm minus ualerẽt, quòd ſumma authoritas antiquitus erat in Heduis: magnæq́; eorum erant clientelæ, Germanos, atq; Ariouiſtum ſibi adiunxerunt, eosq́; ad ſe magnis iacturis, pollicitationibusq́; perduxerunt: prælijs uerò compluribus factis ſecundis, atq; omni Heduorũ nobilitate interfecta, tantum poten-

*Sequani inuito Cæſare iter per ſuos fines Heluetijs præbent.*

*Sequani Heduorum hoſtes.*

*Hedui obſides dant Sequanis.*

*Pudẽda pax & fœdum iuſiurandũ.*

*Principes factionis in Gallia, Hedui, & Sequani tẽpore Cæſaris.*

tia anteceſſerant, obſideſq́; ab his principũ filios acciperent: et publicè iurare cogerẽt, nil ſe contra Sequanos conſilij inituros: & partem finium agri per uim occupatam poſsiderẽt: Galliæq́; totius principatum obtinerent. Hactenus ille. Porrò redactis in Romanorum poteſtatem Sequanis uocari cœpta eſt Maxima Sequanorum prouincia, quòd Sequanos interiores, ac exteriores: ſiue Ciſmontanos Heluetios, Rauricos, Tractum Argentoractenſem complecteretur. Nam uſque eò protendi Ptolomæus indicat. Tametſi ſunt, qui, quicquid trans Ellum amnem eſt, & Rhenum, Sequanis tantùm tribuant. Maximæ Sequanorum caput erat Veſontio, ſiue Biſuntium, quæ & hodie, quod ad eccleſiæ imperiũ attinet, Baſilienſibus, & Songanis ius dicit. Dux autẽ Sequanici apud Oliuonẽ caſtellum præſidiũ habuiſſe pro limitis cuſtodia dicitur. Lugdunenſes autem prouincias ex Epiſcopalium Diœceſium limitibus facile fuerit terminare. In his ſunt Hedui, quorũ clientes Bituriges, ac alij complures. Heluij in Aruernorũ finibus: à quibus Marci T. Ciceronis matrem ortam tradit Euſebius. Boij, Aulerci, & ipſi Heduorum clientes, Ambarri, Turones Heduorum conſanguinei, Mandubij, Secuſij: forum enim Secuſiacum inter Lugdunenſis primæ oppida recenſet Ptolomæus. Lugdunenſis autẽ Senoniæ terminos tam latè patere, quàm hodie eius Archiepiſcopi ſacra ditio porrigitur, conijcere licet. Ad quam pertinebat Lutetia, quam Ammianus Marcellinus uocat Pariſiorum caſtellum

*Maxima Sequanorum.*

*Veſontio Sequan.*

*Oliuo caſtellum ducis Sequanici.*

*T. Ciceronis mater ab Heluijs Aruernis oriunda.*

*Conſanguinei heduorũ*

*Lutetia Pariſiorum ad Lugdunenſem Senoniã pertinebat.*

in cuius gratiam uiſum eſt, huc eius uerba transferre: aliaq́ in eãdem rem à Rhenano, ut cætera deſumpta. Matrona, & Sequana (inquit) amnes magnitudinis geminæ fluentes per Lugdunenſem, poſt circunclusam ambitu inſulari Pariſiorũ caſtellum Lutetiam.

*Lutetia caſtellum Pariſiorum.*

Hanc uocat Boëtius Seuerinus ciuitatem Iulij Cæſaris, quòd hãc Cæſar plurimi fecerit. Quodq́ defectionis Gallicæ initio illuc Galliæ totius concilium indixerit: nam quotuſquiſq; uel cæcutientiſsimus eſt, qui hanc à Cæſare Iulio cõditam exiſtimet, quam iam annis bis mille, pluſminus conditam alijs ius dixiſſe ferũt? Quod obiter adiectum uolui, cùm ſtupendum uideatur oppidum nullius penè latitudinis, inſulæq́ modicis finibus circunſcriptum uſq; ad prodigium excreuiſſe: quandoquidem duas illas ciuitates, quæ in Sequanæ ripa utrinque extructæ uiſuntur, quæq́ indies latius pomeria proferunt, conſtat fuiſſe ſuburbia: in quibus Iulianus Auguſtus, cùm apud Pariſios ageret (nam illic Cæſarem ab exercitu ſalutatum ferunt) Decentio Tribuno, & notario electiſsimam auxiliariorum manum illac ad Conſtantium Aug. Bellaturum ducenti occurrit ſalutãdi gratia.

*Iulianus imperator Lutetiæ.*

Suſpicor autem ciuitatem Iuliani, non Iulij à Seuerino dictam. Hanc enim mirificè excoluiſſe uidetur Iulianus, quam ad hunc modum depingit in oratione, cui titulus *ἀντιοχὸς ἢ μισοπώγων*: cuius tibi legendi copiam ex Rhenano fecimus.

*Ἐτύγχανον ἐγὼ χειμάζων περὶ τὴν Λουκετίαν, ὀνομάζουσι δ' οὕτως οἱ Κελτοὶ τῶν Παρισίων τὴν πολίχνην ἔστι δὲ οὐ μεγάλη νῆσος ἐγκειμένη τῷ ποταμῷ*

ποταμῷ καὶ αὐτὴν κύκλῳ πᾶσαν τὸ τεῖχος καταλαμβάνει ξυλιναὶ δὲ ἐπ' αὐτὴν ἀμφοτέρωθεν εἰσάγουσι γέφυραι καὶ ὀλιγάκις ὁ ποταμὸς ἐλάττους καὶ μείζων γίνεται. τὰ πολλὰ δ' οὖν ὁποίας ὥρας θέρους καὶ χειμῶνος ὕδωρ ἥδιστον καὶ καθαρώτατον ὁρᾶν καὶ πίνειν ἐθέλοντι παρέχων. ἅτε γὰρ νῆσον οἰκοῦντας ὑδρεύεσθαι μάλιστα ἐνθένδε χρή. γίνεται δὲ καὶ ὁ χειμὼν ἐκεῖ πραότερος εἴτε ὑπὸ τῆς θέρμης τοῦ ὠκεανοῦ, στάδια γὰρ ἀπέχει τῶν ἑνακοσίων οὐ πλείω καὶ διαδίδοται τυχὸν λεπτότης αὔρα τοῦ ὕδατος. εἶναι δὲ δοκεῖ θερμότερον τὸ θαλάττιον τοῦ γλυκέος. εἴτε οὖν ἐκ ταύτης, εἴτε ἐκ τινος ἄλλης αἰτίας ἀφανοῦς ἐμοὶ τὸ πρᾶγμα οὐκ ἔστιν ἀληθέστερον ἔχουσιν οἱ τὸ χωρίον οἰκοῦντες τὸν χειμῶνα καὶ φύεται παρ' αὐτοῖς ἄμπελος ἀγαθή, καὶ συκᾶς ἤδη τινες εἰσὶν οἳ ἐμηχανήσαντο σκεπάζοντες αὐτὰς τοῦ χειμῶνος ὥσπερ ἱματίοις τῇ καλάμῃ τοῦ πυροῦ καὶ τοιούτοις τισὶν ὥστε ἔξωθεν εἴργειν τὴν ἐκ τοῦ ἀέρος ἐπιγινομένην τοῖς δένδρεσι βλάβην ἐγένετο δὴ οὖν ὁ χειμὼν τοῦ εἰωθότος σφοδρότερος καὶ παρέφερον ὁ ποταμὸς ὥσπερ μαρμάρου πλάκας ἴσα δῆτα τὸν φρύγιον λίθον ᾧ ἐῴκει μάλιστα τοῦ λευκοῦ τούτου τὰ κρύσταλλα μεγάλα καὶ ἐπάλληλα φερόμενα. Καὶ δὴ καὶ συνεχῆ ποιεῖν ἤδη τὸν πόρον ἔμελλε καὶ τὸ ῥεῦμα γεφυροῦν ὡς ἐκ τούτου ἀγριώτερος ἦν τοῦ συνήθους ἐθάλπετο δὲ δωμάτιον οὐδαμῶς ὅπερ ἐκάθευδον ὅνπερ εἰώθει τρόπον ὑπὸ ταῖς καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαίνεσθαι καὶ ταῦτα ἔχων σύμπεπως πρὸς τὸ παραδέξασθαι τὴν ἐκ τοῦ πυρὸς ἀλέαν συνέβη ἢ οἶμαι καὶ τότε διὰ σκαιότητα τὴν ἐμὴν καὶ τὴν εἰς αὐτὸν τρόπον ὡς εἰκὸς ἀπανθρωπίαν ἐβουλόμην καὶ ἐθίζειν ἐμαυτὸν ἀνέχεσθαι τὸν ἀέρα ταύτης ἐνδεῶς ἔχοντα τῆς βοηθείας. ὡς δὲ ὁ χειμὼν ἐπεκράτει καὶ ἀεὶ μείζων ἐπεγένετο θερμῆναι μετ' οὐδ' ὡς ἐπέτρεψα τοῖς ὑπηρέταις τὸ οἴκημα δεδιὼς κινῆσαι τὴν ἐν τοῖς τοίχοις ὑγρότητα κομίσαι δὲ ἔνδον ἐκέλευσα πῦρ κεκαυμένον καὶ λαμπρὸς ἀρθεῖσθαι παντελῶς μετρίους οἱ δὲ καὶ περιόντες οὐ πολὺ παμπληθεῖς ἀπὸ τῶν τοίχων ἀτμοὺς ἐκίνησαν. ὑφ' ὧν κατέδαρθον ἐμπεπλησμένης μοι τῆς κεφαλῆς ἔδεισα μὲν οὖν ἀποπνιγῆναι κομιδῆ ἢ ἔξω τῶν ἰατρῶν παραινούντων ἀπορρίψαι τὴν ἐντεθεῖσαν ἄρτι τροφὴν οὔτι μὰ δία πολλὴν οὖσαν ἐξέβαλον καὶ ἐγενόμην αὐτίκα, καὶ τῆς ὑστεραίας πράττειν ὅπερ ἤθελον μετ' οὖν ἐγὼ καὶ τοῖς Κελτοῖς κατὰ τὸν τοῦ Μενάνδρου δύσκολον αὐτὸς ἐμαυτῷ πόνους προσετίθουν. ἀλλ' ἡ Κελτῶν μὲν

ταῦτα ῥᾶον ἔφερον ἀγροικία, id eſt. Hyemabã (inquit) ego apud Lutetiam, ſic autem appellant Galli Pariſio-rum oppidulum. Haud uerò magna eſt inſula in flu-uio iacens, qui ipſam in circuitu totam cum mœni-bus complectitur: utrinque ſunt lignei pontes, qui ad illam ducunt: Amnis autem rarò decreſcit, & in-creſcit, ſed plerunque qualis æſtate conſpicitur, talis etiam hyeme perdurat, aquam amœniſsimam uel aſpicere, uel potare uolenti præbens. Nam illos, ut qui inſulam incolant, hinc præſertim aquam hauri-re oportet. Fit autem illic mitior hyems ob calo-rem oceani (nongentis enim ſtadijs abeſt, nec am-plius) ac fortaſsis aqua ipſa tenuem aliquam auram edit. Videtur autem calidior marina, quàm dulcis: ſiue igitur hanc ob cauſam, ſiue ob aliam aliquam obſcuram mihi, res ita habet. Tepidiorem hyemem ſentiunt eum incolentes locum, prouenit'que egregia uitis apud illos: et ſunt iam, qui ficus arte, & ingenio illic alant, eas per brumæ tempus ſtipulis frumen-tarijs, & hoc genus quibuſdam, quæ noxam cœle-ſtem, arbores lædentem prohibere ſolent, non ſecus ac ueſtimentis integendo muniunt. Fuit itaque ſoli-to ſæuior hyems, acrior'que, & fluuius ueluti tabu-las marmoreas deferebat: nouiſtis ſanè Lydium la-pidem, cui propter albedinem præcipuè ſimilis ap-parebat amnis. Huius glacies ingens: & quæ cumu-latim una ſuper aliam ferebatur: atque ipſum alue-um, & fluxum inſtar pontis iamiam adſtricturus erat, hyems'que ſolitò uehementior exiſtebat. Porrò cubi

cubiculum,ubi dormiebam, nequaquam calefiebat, quo modo pleraque cœnacula ſub fornicibus illic calefieri conſueuerunt, præſertim quum appoſitum,ac inſtructum eſſet ad recipiendum ab igne teporem. Accidit autem, ut arbitror, tum quoque per meam imperitiam,& quod morem illum, ut par erat auerſarer: uolebam enim aſſuefacere meipſum ad tolerandum cœlum,qui tamẽ huiuſmodi præſidio opus habebam: cùm tamen inualeſceret bruma,ac perpetuô ſæuior fieret, nequaquam præcepi miniſtris, ut cubiculum calefacerẽt,ueritus, ne latentem in parietibus humiditatem commouerem. Cæterùm iuſsi, ut introferrent ignem accenſum, & titiones,& carbones claros deponerent omnino paucos. Hi uerô quanquàm non multi forent, è parietibus humores commouerunt:quare factum eſt,ut obdormiſcerem: cùm mihi iam caput eſſet oppletum, equidem futurum erat, ut ſuffocarer. Exportatus autem foras, cùm medici me ſubmonerent, ut reijcerem cibum paulô ante ſtomacho commiſſum, qui per Iouem modicus erat,reieci, ſtatim'que melius habui, ſic ut mihi nox leuior redderetur, & agere poſtridie poſſem,quicquid liberet. Sic igitur apud Gallos agens, ego more Diſcoli, quem Menander inducit, ipſe mihi moleſtias ſuperingerebam. Verùm Barbaries Gallorũ iſta facilius ferebat. Hactenus Cæſar Iulianus: quod huc inferre libuit (non tamen ſine magna Lectoris utilitate,& rei, inſtitutiq; noſtri cõmodo) cum quòd Lutetia illic mirè depingatur,tũ quòd ad

Lugdunenſem Senoniam, prouinciam, cuius mentio incidit, pertineret. Has igitur Galliæ prouincias in Collimitijs tutabantur Limitanei milites, quos multis retro annis Romani ad præſidia, cuſtodiendiq́; imperij fines collocabant. Limitantes quoque dicebantur, qui Limites incurſabant. Ammianus Marcellinus: Limitantes quoq; ſuperauimus. Rurſus. Id quod nunc maximè formidant, Limitantes Sarmathas. Romani uerò Limites huiuſmodi annis ſingulis octo legionibus cuſtodire cogebantur. Agrippa tamen apud Ioſephum de bello Iudaico, de bellis Gallorum contra Germanos loquens aliter ſentire uidetur: ait enim. Galli, qui Rhenum in Septentrione incolunt, trecentis quidem gentibus numeroſi ſeptuaginta annos pro libertate pugnabant, & ſub trecētis millibus Romanorum cuſtodiuntur. Tradit etiam Oroſius, Germanos Galliæ ciuitates ædificatas à Poſthumo Cæſare euertiſſe, cùm tamen eſſent Gallici limitis, quas tamen poſteà Lollianus inſtaurauit.

*Limitanei milites.*

*Limitantes.*

*Octo legiones in Limitibus.*

## *Irruptio Burgundionum in Galliam.*

*Burgund. in Galliam.*

THeodoſij iunioris principatu prædatorij Burgundionum globi Rhenum trāſuecti, quantam nunquàm antè aliâs, Galliæ uaſtitatē intulere ab Alemanis multiplici clade ſedibus moti, inter quos multis annis partim amicè, partim hoſtiliter conſederant. Inuolarunt

runt hi in Sequanorum Maximam prouinciam, & Heduos, Matiſconenſes, Cabillonenſes, Lingones, Lugdunenſes, Allobroges, & prouinciam Romanam, in qua ſecutis temporibus Regnum erexerunt. *Regnũ Burgundionum* D. Hieronymus Lupos uocat uagos illos Septentrionis populos, quos etiam enumerat alio quodam loco, his uerbis. Innumerabiles, & fortiſsimæ nationes uniuerſam Galliam uaſtarunt, Alanus Sigipedes, Vandali Burgundiones, Sarmathæ, atq; Eruli, Saxones. Pacatus ad Theodoſium: Id (inquit) olim *Pacatus.* deſiderabat Archadius, qui perdidit infortunatas Gallias. Lugeo Pannonias, Gallorumq; ſpecto excidium. Idem ſubiungit. Vnde igitur exordiar, niſi à tuis Gallia malis, quæ ex omnibus terris, quas illa peſtis inſederat, haud iniuria tibi uendicas priuilegium miſeriarum? Porrò aduerſus Barbarorum im- *Romani ingentes muros in limitibus erigebant.* preſsiones in finibus, limitibusq; prouinciarum, muros inuſitatæ magnitudinis excitabant Romani, ne tam libera irruptio foret, cuiuſmodi Adrianum duxiſſe tradit Spartianus in hanc ſententiã. Ergo conuerſis regio more militibus Britanniam petijt, in qua multa correxit, murumq; per octoginta millia paſſuum primus duxit, qui Barbaros, Romanosq; diuideret. Iulius Capitolinus Antonium Pium in Britannia idem feciſſe commemorat, cuius uerba attexui. Nam Britannos per Lollium urbicum Legatum uicit alto muro ceſpitio ſummotis Barbaris ducto: quæ clauſtra, ac ſeptorum repagula Barbari non dubitarunt, id æui conuellere. Nam Procopius de

Burgundionibus ſigillatim his temporibus (ait)fa- cta in Romanum imperium tumultu partim Pannonias, partim Gallias ultra Rhodanum fluuium ſuæ ditioni ſubactas,uectigalesq́ tenuerunt. Idem habuerunt Germani Italiæ loca, & totius oræ maritimæ ſucceſſu potiti ſunt. Maſsiliam phocenſium Coloniam circa mare in ditionem acceperunt,unde & in lóco Arelate, ubi nunc eſt,reſederunt. Hi aureum nummum cudunt è natiuo Galliarum metallo. Quàm uerò atrociter Gallias fœdauerint irruptione illa fatali, innuit Sidonius de Aruernis(quorum erat ipſe Epiſcopus) loquens in hanc ferè ſententiam: Oppidum noſtrum quaſi quendam ſui Limitis oppoſiti obijcem circunfuſarum nobis gentium arma terrificant:ſic æmulorum ſibi in medio poſiti populorum, lachrymabilis præda ſuſpectis Burgundionibus. Proximi Gothi, nec impugnantium ira,nec propugnantiũ caremus inuidia. Belgicam quoq; infeſtaſſe idem Sidonius meminit. Sic canẽs:Belgam Burgundio,quem trux, Preſſerat,abſoluis uinctum. Sub id tempus ſcribit fuiſſe interceptas literas Arnaudi uiri præfectorij læſæ maieſtatis rei: quibus ille Theodorico regi ſuadebat, cum Burgundionibus iure gentium Gallias diuidi debere. Præfecturã(inquit)primùm gubernauit,cum magna popularitate:ſequentemq́ cum magna populatione pariter onere depreſſus ęris alieni metu creditorum,ſucceſſuros ſibi optimates æmulabatur, omniũ colloquia ridere,conſilia rimari,officia contemnere,pati de occurrẽtium raritate

*Burgund. in prouincia Romana.*

*Burgun. Belgicam infeſtarunt.*

*Literæ interceptæ.*

*Arnaudus læſæ maieſtatis reus.*

tate ſuſpitionem de aſsiduitate faſtidium : donec odiĳ publici mole uallatus, & prius cinctus cuſtodia, quàm poteſtate diſcinctus, captus, deſtinatusq́ peruenit Romam : illico tumens, quòd proſpero curſu procelloſum Tuſciæ littus enauigaſſet, tanquam ſibi bene conſcio ipſa quodãmodo elementa famularentur. In capitolio cuſtodiebatur à Flauio Aſellio hoſpite, comite ſacrarum largitionum, qui adhuc in eo ſemiſumãtem præfecturæ nuper ereptæ dignitatem uenerabatur. Intereà legati prouinciæ Galliæ, Tonãtius Ferreolus, Præfectorius, Affranius Syagriĳ conſulis è filia nepos, Thaumaſter quoq́ Petronius, maxima rerũ, uerborũq́ ſcientia præditi, & inter præcipua patriæ noſtræ decora ponẽdi Arnaudũ publico nomine accuſaturi, cũ geſtis decretalibus inſequunt̃, qui inter cætera, quæ ſibi prouinciales agẽda mandauerant, interceptas literas deferebant, quas Arnaudi ſcriba correptus dominũ dictaſſe profitebatur. Hæc ad regẽ Gothorum charta uidebatur emitti pacem cum Græco imperatore diſſuadens. Britannos ſuper Ligerim ſitos impugnari oportere demonſtrans, cũ Burgundionibus iure gẽtium Gallias diuidi debere confirmans, & in hunc ferme modũ plurima inſana, quæ iram regi feroci, placido uerecundiam inferrẽt. Hanc epiſtolam læſæ maieſtatis crimine ardenter Iureconſulti intentabant. Me, & Auxentium præſtantiſsimum uirum iſte non latuit, qui Arnaudi amicitias quoq́ genere incurſas inter ipſius aduerſa uitare perfidum, ignauum, barbarum computabamus.

Hactenus Apollinaris. Vide, quantum pauoris, trepidationisq; incuſſerint Romanis Burgundiones in Galliam irruentes, quibuſcum uidebatur uiris præfectorijs Gallias iure gentium diuidi oportere. Cæterùm Eugenius Grammaticus, Cæſaris Valentiniani Antigraphus, et Argobaſtes natione Francus facta coitione Valentinianum Viennæ necarunt laqueo: quare Burgundiones, Franciq; ad res nouandas animum adiecere. Ab infortunatiſsimo igitur Gallieni imperio, quo omnis ferme uis Romana cõcidit, ad Mauritium uſq; Cæſarẽ à Germanis plurimum malorum Gallia ſuſtulit. Licet Aurelianus cognomento (manu ad ferrum) ſextæ Gallicanæ tribunus, poſteà Imperator, Francis in eandem irruentibus fortiter reſtiterit, Gothosq; uicerit, trans'q; Danubium fugere compulerit, Vindelicos obſidione barbarica liberarit, aduerſus quos etiã Poſthumum erexiſſe munimenta diximus. Euſebius refert Probum à Germanis uaſtãtibus eripuiſſe Galliam. Diocletianus Auguſt. Maximianum aduerſus irruentes Germanos, factionem'q; Bagaudarum in Galliam miſit. Tametſi non tam Germani, licet feroces, quàm Romani Imperatores, tyranni'ue Galliæ exitium inuexere. Nam ſub Gallieno, Poſthumus in Gallijs ſe Cæſarem, ſub Aureliano Tetricus, ſub Numeriano Carinus, appellari iuſſere. Rurſus Conſtantinus Iulianum in Gallias aduerſus Alemanos, tres & uiginti ætatis annos agentem miſit, qui ad Argentoratum propè Alemanorum exercitum perdidit.

*Infelicißim. Gallienus.* *Aurelianus manu ad ferrum.* *Probus in Gallia.* *Diocletianus in Gallia* *Poſthumus* *Tetricus.* *Carinus.* *Iulianus in Gallia.*

Nazarius

Nazarius Mamertinus de Iuliano. Imperator (inquit) noſter Gallias nactus nimiũ aduerſus hoſtem habuit laboris, & diſcriminis: uno enim prælio Germania debellata eſt: ſed difficile luctamen, & periculi plenum negocium. Idem alibi: Iulianus noſter Alemaniam domuit, Galliam ex fauillis, & cineribus exuit. Et ſub Conſtante Gallos infeſtabant, quorum duces captos feris obiecit. Idem accidit ſub Conſtantino, qui primùm prælio ab his uictus, fatigatuſ'que eſt. Valentinianus autem cum Vandalis, Burgundionibus pacem inire coactus eſt. Cuius filius Gratianus cum Francis, Saxonibus, & Alemanis ad Argentoratum magno prælio conflixit: cuius uictoriæ triumphũ Auſonius celebrat in Moſella. Poſt hunc uerô, Theodoſiũ Pacatus refert Alemanos in auias ſolitudines compuliſſe, nimirum ultra Nicrum fluuium in receſſus Marchiani nemoris: quo tempore Burgundiones, Franci, Vandali, Gothi, Bathaui, Sclauini, non niſi Romano, Gallicoq; ſanguine alebantur, ea'que colluuies ſuis uiribus in Gallijs ſubſtitit diu, inclinante Romani nominis maieſtate. Scribit Agathias Burgundiones ad Leonis Imperatoris uſque tempora claros, celebreſ'que permanſiſſe. Vnde liquet Burgundicum nomen iam tum maximo fuiſſe in precio, atque in ea celebritate diutiſsimè perſtitiſſe, ſi quis temporis, quo primùm orbi innotuere, ad hanc uſque ætatem ineat rationem.

*Valentinianus pacem cum Burgund. inijt.*

*Burgun. ab Auguſto ad Leonem uſq; Cæſarem celebres.*

## DE ANTIQVO *Burgundiæ Populi.*

OMnium populorum, qui pridem Bur-
gundionibus ſiue ſubditi, ſiue beneficia-
rij fuerunt, rectè ab Alpibus initium ſu-
mi uidetur, ut ſit ab editis ad ima curſus
procliuior: in quibus iam olim regnum fuiſſe indi-
*Alpium regnū in prouinciā redegit Nero.* cat his uerbis Tranquillus. Alpium (inquit) regnum
defuncto Coctio in prouinciam redegit Nero. Ho-
rum nominatiſsimi ſunt Allobroges citra Rhoda-
num fluuium, lacus Lemani (quem Strabo Peleme-
nam uocat) ripas incolentes; hi fuere finitimi Galli-
cæ prouinciæ, quæ Romanorum olim erat: his con-
termini fuere Vocuntij. Deinde in Alpibus Sabba-
tij, à quibus fortè dicta eſt Sabaudia. Ingauni, Inte-
melij, Hiconij, Tricorij, Medualli in excelſis Alpi-
um uerticibus. Centrones, Catoriges, Veragri, qui
*Valeſia inferior.* hodie ſunt inferior Valeſia intra Sedunos: hos Rho-
danus interfluit. Gentis caput uicus Octodorus, qui
*Marthenac.* hodie Marthenac dicitur, Diui Mauricij Thebæi
fano nobilis: illic enim Chriſtianam legionem pri-
mùm decimatam, deinde crudeli occidione deletam
conſtat. Sunt tamen, qui ad Agannum, non Octodo
rum id actum putent: nam ſitus uici Octodori non
eſt ad ripam Rhodani: uerùm nonnihil ab eo diſtat:
conijcere tamen licet locari ſupra amnem quendam
à monte Pœnino deriuatum, qui poſteà quoq; mi-
ſcetur Rhodano. Scribit ſiquidem Cæſar illic duos
*Nantuates.* fluere amnes. Nantuates, Salaſsi, quorum regio his

à Stra

â Strabone uerbis depingitur. Salaſsiorum quidem regio magna eſt, profundã utrinq; uallem, agrumq́; claudentibus rupibus: quorum tellurem Aurifodinas habere teſtatur, quas Salaſsi, cùm potentia ualerent, poſsidebant, magnamq́; illis opem ad effoſsiones metallicas, aurumq́; diluendum Duria fluuius afferebat. Quocirca multis in locis aquæductus pertinentes communem alueum exinanibant, quòd ipſis ad auri uenandi conquiſitionem cõduceret, reliquos ſua colentes arua rigationibus deſtitutos contriſtabant, cùm fluuius tantis ſuppeditare terris potum nequiret, quia ſuper dextrum haberet alueum: ea cauſa aſsidua inuicem prælia gens utraq; cõferebat. Potitis inde rerum Romanis, Salaſsi quidem & aurificium ſimul, & agrum amiſerunt: uerùm montium iuga tenentes adhuc aquam publicanis Aurifodinas capeſſentibus uenundabant. Hos Cæſar Tarentaſios forſitan uocat, niſi Saluſsianos uocemus, cuius nominis preſſum etiamnum remanet ueſtigium. Ad hæc ſunt Garotelli citra Rhodanum, ultraq; alpes Graias ad Siniſium iugum, quà Hannibal autore Liuio exercitum in Italiam ingẽti difficultate traduxit. Ab Alpibus uerò, quà itur ad mare Liguſticum, eiuſdẽ ditionis fuere in ora quidem maris Maſsilienſes: de quibus ſuo loco fuſius diſſeremus. His'que proximi Salies, qui ad Aquas Sextias, eamq́; regionem, quæ ad Ligures pertinet, habitant. Ab his Frãcos Salios dictos, legemq́; illorum Salicam fuiſſe, me primùm admonuit magnanimus uir Gulielmus Bellaius Lãgius

*Salaßi.*

*Aurifodinæ*

*Duria fluuius.*

*Bella pro aquæductu.*

*Aqua uenalis.*

*Quà Hannibal Alpes trãſmiſerit.*

*Salies.*

*Franci Salij dicti.*

*Guliel Bellaius Lãgius*

gius:quo nomine me illi plurimum debere,& agnoſco,& fateor. Deinde ſunt Toygeni,& ſupernè Tricorij,Medilli,Iconij,Vari,Quari,Catari,quos lingua,& moribus in Romanum ritum transformatos ſua ætate fuiſſe,ait Strabo,cùm prius eſſent, haberentur'que Barbari. Rurſus Arecomici,quorum ciuitas Nemauſus:in qua in hanc diē uiſuntur ſtupendi Amphiteatri ueſtigia,& Baſilicę Plotinæ. Aremici,quorum ciuitas Auraſium principatus illuſtrium Cabilonenſium. Veneti comitatum Venuxinum incolentes,quorum ciuitas pōtificij iuris Auenio. Cæterùm Lugdunum uerſus Angoſiani aduerſo Rhodano,et Secuſiani, cui genti præſidere Lugdunum ſcripſit Strabo,idem Secuſianos eos eſſe contendit, qui inter Araris,Dubidisq; medium iacēt. Horum forum Burgus oppidum olim dicebatur. Verùm ſatis mirari non poſſum,quid ſit, quòd Strabo, Cabillinum urbem in his eſſe dicat,cùm ad Heduos, potius teſte Cæſare pertineat,niſi fortè Dolam eſſe conijciamus, ſiquidem urbes diuerſas ijſdem nominibus dictas fuiſſe ex eodem Cæſare nouimus,ut Gergobiam Aruernorum, & Gergobinam Boiorum. Accedunt Brannouices proximi Secuſianis Heduorum clientes. Ambuareti Blanouij proximi Heduis,quorum etiam clientes erant fortè, & Brandouices etiam dicti:trans Ararim domicilia tenent Sequani, Romanis,& Heduis dudum aduerſantes: Germanis enim ſæpius adhærebāt,eorumq; impetus in Italiam inuitabant, roburq; non mediocre oſtentabant, adeò ut illis

*Baſilicæ Plotinæ apud Nemauſum.*

*Burgus Secuſia.*

illis communiter adiuncti eorum uires amplificarēt, deſiſtentes autem diminuerent aduerſus Heduos: & eæ ſanè cauſæ, & fluuij contentio inimicitias auxit, qui gentem utramque dirimit, quæ ſibi proprium uendicat Ararim, atque omnia eiuſdem uectigalia. Cæterùm Hedui, Lingonesq; in occaſum uergunt. Mandubij, qui à Strabone Mandibuli uocitantur. Ambarri neceſſarij, & conſanguinei Heduorū. Non nulli Ambarrorum oppidum exiſtimāt Semurium non ita procul ab Alexia Mandubiorum. Aulertij inter Celtas Heduorū clientes: hos Roannenſes quidam eſſe contēdunt. Boij, qui prius tranſrhenani fuerant, ac Dannubio proximi, poſteà uerò in agrum Noricum tranſiuere, pulſis ſedibus indigenis: cuius agri pars adhuc Noricum appellatur. Cęterùm Boij debellatis Heluetijs in agrum Heduorū migrarunt; Gergobinamq; ciuitatem (Molinum uocant) habitarunt Cargali; & hi tranſrhenani prius: nunc circà Heduorum, atque Sequanorum fines ab Arioiuiſto rege tranſportati, unà cum Arudibus. Tales nimirum ſunt, qui florentibus Burgundionum in Gallia rebus dicto regibus audientes erant, aut penſitationes, uectigalia'que exoluebant.

*Contentio pro uectigalibus fluuij Araris.*

## *De Regibus Burgundiæ.*

CVm diu Burgundiones Rempublicam citra principum operam fuiſſent moderati, nec ſatis inter eos cōueniret, Gundiochum

*Burgund. ſine Regibus.*

*Gundiochus rex.*

 regem

regem ſalutant, qui fuit annus Chriſti quadringen-
teſimus decimus quartus. Hunc uerò Gothicæ ſtir-
pis fuiſſe, quidam ſcribunt, impietatisq; Arrianæ ue-
neno à pueritia imbutũ illum: tamen conſtat regem
factum ad ſanitatẽ rediiſſe, Arrianumq; dogma ab-
iuraſſe, cui alioqui pij Burgundiones ſuarum rerum
ſummam mandaturi non fuerant. Hic Alarico regi
Gothorum, qui primus Romani imperij faſces, fa-
ſtumq; deiecit, ſanguine erat cõiunctus, quorum ge-
nus à Cymbris fluxiſſe uolunt. Nihil igitur prius in
uotis habuit nouus rex, quàm ut ditionis adhuc per
ea tẽpora anguſtæ terminos proferret. Lugdunum
enim, & quæ Cemmeno adiacent, Imperio adiecit,
Allobroges, prouinciam Romanam, armis Maſsi-
liam uſq; peruaſit, Nicæámq; opportunam cõmea-
tibus, exercitibúsq; importãdis urbẽ ui expugnauit:
aduerſus quẽ mouit arma Aetius Patricius, ac conſu
laris, dux impiger, cui ab Honorio mandatum erat
coërcendi Gundiochi negocium: à quo uictus rex le-
uibus aliquot prælijs non acquieuit, donec æquis cõ
ditionibus pacem ab Aetio impetraret. Aetius ſiqui
dem conſultò cum Burgundione pacem pepigit, im
pendentibus Galliæ tam uarijs Barbarorum genti-
bus. Gothi ſiquidem Aquitaniam receperant. Frãci
bis Gallia pulſi in Neruios, Samarobrinos, Mori-
nósq; duce Clodione Crinito impetum recens fece-
*Roma. Burgundionum opera uſi.* rant, & ſperabat futurum Aetius (quod poſteà eue-
nit) ut Burgundionum opera in illis reprimendis
uteretur. Acceſsit etiam, quòd Burgundiones mori-

bus ſat commodis uideret, ac cum antiqua Deorum ſuperſtitione, Barbaros quoq; mores, ac belluinam feritatem exuiſſe. Sic noſtris pax reddita, qua potiti ſunt ad Attilæ immanis uſque ætatem: qui, cùm uelut fulmen in Galliam, cum quadringentis hominum millibus irruiſſet, ingentem primæ notæ urbibus cladem inuexit. Maguntiam, Tongros, Treuiros, Neruios, Cameracum, Attrebates, Morinos, Ambianos, Bellouacos, Catalaunum, Rhemos, penè funditus euertit, ac idem Trecaſsibus minitabatur, niſi Lupi uiri ſanctiſsimi precibus, qui ipſum placidè mœnibus admiſit, conſilium mutaſſet. Genabum, Lugdunum, ac Narbonem incendit. Aetius nihil cunctandum ratus, Burgundionum regem Gundiochum, Meroueum Francorum, Theodoricum Viſigothorum, Carolum Tõgrorum, in ſocietatem armorum aſciuit: ex Germanis, ex Saxonibus, Ambronibus, quàm numeroſiſsimũ poteſt, ſcribit exercitũ: qui omnes potiore Hunnorũ odio, quàm Romanæ rei ſtudio in Attilam ferũtur: pugnatũ in campis Catalaunicis: uictus Attilas ex Gallia profugit: ad octoginta hominũ millia deſiderata eo prælio: cecidere Gũdiochus, & Theodoricus reges, ac præſtãtiſsimi bellatores. Sunt, qui Frãcum regẽ Merouеũ in conflictu cõfoſſum exiſtiment. D. Hierony. huius atrocis pugnæ annũ fuiſſe ſalutis CCCC. quinquageſimum ſcribit. Regnauit Gundiochus annis xxx. qui tandẽ in pia, ac ſacra cauſa uitã prodegit, relictis quatuor filijs, Gundebado, Gũdegiſillo, Chilperico,

*Pugna in campis Catalaunicis.*

*Gũdebadus gũdegiſillus Chilpericus*

*Gothomarius.* ac Gothomario, qui ab exceſſu patris inter Burgundiones unà imperarunt, ditionem in tetrarchias partientes. Verùm (ut plurimũ fieri ſolet) fratres in mutua breui exarſere odia: bellũ peperit ſimultas, dum ſe à contemptu uindicare obnixè quiſq; ſtudet. Gun- *Bellum inter fratres.* debadus, Gundegiſillusq; icto fœdere in Chilpericum, Gothomariumq; arma mouẽt, ac collatis ſignis utrumq; obtruncant. Chilperici uxor in Rhodanum unco tracta non ita procul à Maſsilia. Filij utriuſque ſecuri percuſsi, duabus tantùm Chilperici filiabus ſu- *Coronia.* perſtitibus. Coronia, quæ attonſa ſacrum Partheno- *Clothildis.* nem ſubijt. Clothilde forma, ac indole regia, ac pereleganti, ingenua'que, quæ in aula patrui Gundebadi adoleuit. Gundebadus uniuerſæ Burgundiæ iura dabat, Gundegiſillumq; præfecerat, quoq; hoſti- *Burgund. in Italiam.* bus eſſet formidabilior, pateret'q; ipſi in Italiam aditus, Theodorici regis filiã, qui tum latè in ea regnabat, uxorem duxit, à Theodoricoq; ſocero in Italiam excitus Alpes cum exercitu tranſcendit, Aſtenſes, Taurinos, Vercellas, Comum, Nouariam, in deditionem accepit, & quò arctiore ſanguinis glutino ſibi Theodoricum conciliaret, illius neptem filio Sigiſmundo uxorẽ dari petijt. Dum uerò in rebus Ita- *Clodouæus Clothildem uxorẽ petit.* licis totus eſt, Clothildis iam nubilis uerſabat in animo paternæ necis ultionem. Cõtigit autem caſu, uel numinis prouidentia, ut hanc ſibi Clodouæus Francorum rex uxorem per legatos poſceret, legationis huius principe Aureliano uiro multarum rerum uſu claro, qui priuſquam Gundebado, quod in mandatis habebat,

habebat, aperiret, uirginis animum ſibi tentandum eſſe duxit: nec enim neſciebat matrimonium huiuſmodi ſuſpectum fore tum propter patratæ cædis conſcientiam: tum propter res Francorum, quæ iam cœperant in Gallia feliciter efflorеſcere. Is uirgini ſeorſum colloquitur, Clodouæum eſſe magnis opibus, magniſq; clientelis, & præſtantia formæ, generiſq; antiquitate præcipuæ nobilitatis regem, qui'q; patris mortem in patruũ uindicare poſsit, regnumq; Clothildi hæreditarium aſſerere. Et iam penè uirginem fando adduxerat, ut ſubſcriberet, niſi obſtet uana Deorum ſuperſtitio, qua adhuc Clodouæus tenebatur: eſſe enim nefas Chriſtianæ uirgini ethnico regi nubere aiebat Clothildis. Si uerò perſuaderi poſsit, ut ſacra aqua rex Deorum illa deliria abluat, nihil non illius nomine facturam. Sunt, qui Clodouæi anulum ſignatorium uirginis digito tunc Aurelianum inſeruiſſe dicant futuri coniugij arrabonem. Cùm autem in regis cõſpectum ueniſſet Legatus, ſenſit non neptem, ſed regnum peti. Cumq; uultu, animo'que ægrè dolorem premeret, petit reſpondendi tempus. Aurelianus autem paulò pòſt, quid apud ſe rex ſtatuiſſet, ſcitatũ redijt: uiſum eſt ex optimatum conſenſu abducendam uirginem: nec enim poſſe ſublimius collocari principem fœminã, quàm in aula Francica: quæ iam totius orbis celeberrima habebatur. Clothildis apparatu magnificentiſsimo in Franciam deducitur ad Clodouæum, qui in Sueſſionibus eius aduẽtum præſtolabatur. Celebrabatur

*Clodouæi anulus.*

genialiter hymen. Cæterùm interiectis aliquot à nuptijs diebus, uxoris precibus exſtimulatus ferox iuuenis, res in Burgũdiam repetitum miſit: cui cùm ſuperbè eſſet reſpõſum, Gundebado cum infeſto exercitu occurrit ad Oſcaram fluuium: quo prælio fuſus, fugatuſq; Burgundio ſe Auenionẽ longo locorum interuallo proripuit, illicq; arctiſsima obſidione Frãcorum clauſus, annonæ, & cõmeatuum penuria coactus eſt indigniſsimis cõditionibus deditionẽ paciſci. Eam cladem fratri Gundegiſillo acceptam referebat, qui huius belli initio, clam Clodouæo fauerat, deinde profugerat publicè: quem cùm ulciſci cuperet, Gundebaldus raptim comparato exercitu Viennam, quam ille præſidio tenebat, adoritur, ac breui expugnat, fratremq; manu perimit. Mãſit itaq; Gundebadus, trium fratrum morte nobilis uniuerſæ Burgundiæ rex: quo autẽ mortis genere ſit abſumptus, parum cõſtat. Extant ad hunc Theodorici Gothorũ regis epiſtolæ duæ: una, de componenda rixa inter Alaricum, & Ludum (ſic enim Clodouæum uocat) altera, qua cõmendat Horologium recens inuẽtum, & tunc primùm in Burgundiam miſſum: quam huc adijcere libuit. Theodoricus rex Gundebado, Burgundionum regi S. Amplectenda ſunt munera, quæ probantur cõmodis expetita, quando non eſt abiectum, quod poteſt explere deſideriũ: nam per quaſlibet precioſas res ad illud tantũ tenditur, ut cupientis animus expleatur. Quapropter ſalutãtes gratia conſueta per harũ portitores oblectamẽta præſentiæ ueſtræ,

*Gundegiſillus cæſus.*

*Epiſtola Theodorici regis Gothorum ad Gundebadũ Burgundi.*

ſtrę, Horologia cum ſuis diſpoſitoribus credidimus deſtinādā: unum, in quo humana ſolertia uidetur colligi, quòd totius cœli noſcit̃ ſpatia peruagari: aliud, ubi ſolis meatus, ſine ſole cognoſcitur: & aquis guttantibus horarũ ſpatia terminantur. Habetote in ueſtra patria, quod aliquādo uidiſtis in ciuitate Roma na. Dignũ eſt, ut bonis noſtris ueſtra gratia perfruatur, quæ nobis etiã affinitate cõiungitur. Diſcat ſub uobis Burgundia res ſubtiliſsimas inſpicere, & antiquorũ inuenta laudare: per uos propoſitũ gentile deponit, & dum prudẽtiam regis ſui reſpicit, iure facta ſapientum cõcupiſcit. Diſtinguat ſpatia diei actibus ſuis: horarum aptiſsimè momenta conſtituat. Ordo uitæ cõfuſius agitur, ſi talis diſcretio ſub ueritate neſcitur. Belluarum quippe ritus eſt ex uẽtris eſurie horas ſentire, & non habere certum, quod conſtat humanis uſibus contributũ. Vale. Succeſsit Sigiſmundus cum Gundemaro fratre, quẽ Clodomirus Aurelianus rex, bello uictum, captumq; in altiſsimum puteũ prȩcipitem cũ uxore, ac liberis prouoluit: fruſtra Auito uiro ſācto, ac fatidico deprecāte, & obteſtāte, qui Clodomiro breui adfuturũ pronuntiauit exitiũ. Sed plus ualuit impotẽs matris affectus, quã optimi uiri tẽpeſtiua admonitio: unde factũ, ut inſequẽti anno Clodomirus cũ liberis fato haud uulgari perierit, uti Auitus futurũ prȩdixerat. Clothildi ſatis nõ uidebat paterna cȩdes expiata: ſuorum tã miſerabili exẽplo edito: ac propè extincta regia ſobole, niſi Gũdemarũ quoq; bello perſequẽdũ ſuaderet: qui cùm ſibi parari

*Horologiũ dono miſſũ.*

*Rege dignũ*

*Diuus Sigiſmundus rex Burgund.*

*Gundemarus.*

*Clothildis ultionis auida.*

ſenſit bellum, legiones, quas in præſidijs habebat, ad Viſorontem (id loci nomen eſt in agro Viennenſi) educit: eò enim uſq; Francorum exercitus peruenerat. Is cum hoſte collatis, conſertisq; manibus, edita ſuorum ſtrage, Auguſtudunum Heduorum ſe recepit: quem cùm ferocius equo admiſſo inſectatur Clodomirus, à ſuis longius euagatus conto transfigitur, ac diu per puluerem raptatur. Eam pugnam fuſius Agathias Græcus narrat. Mors Clodomiri iuſta cauſa Gundemarum armis inſectandi, ac gentis perſequendæ uideri poterat: qua in re ſibi non defuit Clothildis: quæ non deſiſtendum prius in animum induxerat, quàm Gundemarum ad lanienam quoq; pelliceret. Id per Clothariũ Sueſsionenſium, ac Childebertum Pariſienſium reges filios effecit: quos euocatos docet indignũ eſſe ad regis fratris cædem conniuere. Itaque ſi poſteritati ſe purgatos uelint, arma capiant: duobus, quàm uni, felicius, factu'q; facilius futurum, dexteriusq; ceſſurum bellũ. Accedit, quòd Gundemarus bellis aſsiduis Burgundiam exhauſerat: ac ſibi popularium, optimatiumq; inuidiam conflauerat: nihil uerbis opus ad hanc rem fuerat apud iuuenes, & magni Clodouæi indolem referentes. Hi Auguſtudunum diu milite numeroſo obſeſſum, ac uarijs, ualidisq; tormentis quaſſatũ, ui capiunt, Gundemarumq; reſiſtentem iugulant: ac uniuerſam Burgundionum gentem ſub iugum Francicũ redigunt. Atqui is fuit finis illuſtris familiæ Gundiochi regis, quam auidiſsima uindictæ mulier odijs pluſquam

*Mors Clodomiri.*

Vati

Vatinianis deleuit: quo tēpore Burgundia ad Fran-cos deuoluitur, ac in partes treis diſtrahitur. Theo-dorico, Clothario, Childeberto regibus ſingulas ad ſe trahentibus. Verùm conſtat uniuerſam ad Theo-doricum tandem rediјſſe, Clodouæi filiorum natu maximum. Hic magnis rebus in Italia geſtis, orbi innotuit, uicto duce clariſsimo Belliſſario, Iuſtiniani Cæſaris copiarum præfecto, Mantuanum agrum, & quicquid Pado alluitur, recepit: deinde cibario-rum penuria, pedem in Galliam retulit, Bucellino, et Amingo ducibus relictis: quos tamen Narſes Enu-chus Italia exegit. Theodoricus Thuringorum re-gem magna clade uicit: regnum'que inuaſit. Clotha-rium fratrem acie ſuperauit: tandem miſerè cæſus, Theodeberto filio Burgundiam reliquit, atque Au-ſtraſiam: qui bellicæ uirtutis, pacis'que ſtudio, patri non ceſsit. Hic Childeberto aduerſus Clotharium ducenti adfuit, præfuit'que: quorum cùm inſtructæ utrinque acies penè coirent, ac pedem conferrent, or-ta fœda uentorũ procella, ac tonitruum, fulgurúmque tempeſtate pacem uelut irato terris numine inierũt. Hunc nõ diu ſuperſtitẽ fuiſſe probat, quòd ſub mor-tem auiæ Clothildis deceſsit: quem regiјs extulit exequiјs Theobaldus filius: qui et ipſe iuſtis perſolu-tis, cum aliquot legionibus per montem Pœninum in Italiam penetrauit: in qua expeditione uſus eſt Bu cellino, Amingo, ac Lutherio tribunis. Ad primum motum, tantum trepidationis incuſsit, ut omnem regionem Aſtenſem, ac Taurinos urbibus obuiam

*Burgundia ad Francos.*

effuſis receperit. Vraiam Gothorũ regem in fugam
Alpes Burgund. regno adiectæ. uertit. Edita Gothorum ſtrage tradunt rerum condi
tores per ea tempora gentem Liguſticam, Comum,
Salaſſos, Catoriges, Veragros, Nantuates, atque id
genus Alpinas gẽtes Burgundico imperio adiectas.
Sunt, qui Inſubres annumerent. Qua etiam tẽpeſta-
te Narſes Romani exercitus imperator cũ Gothis,
Burgundionibusq; cõflixit, uicitq; in agro Lucano,
cui non incruentam uictoriam noſtri reliquere: ad
cẽtum enim hominum millia cæſa proditum eſt me-
moriæ, eamq; pugnam eſſe, qua Gothicum nomen
prorſus ex Italia ſublatum, deletumq; eſt. Theobal-
dus nuntiata ſuorum clade febri decubuit, qua paulò
pòſt inter mortales eſſe deſijt. Blondus Flauius aſſe-
rit, hunc acie occubuiſſe, ac ſine liberis deceſsiſſe: cu-
Clotharius Galliæ totius potens. ius morte Galliæ totius potens euaſit Clotharius, fra
tribus, nepotibusq; morte ſublatis. Huius res geſtas
prolixè in Frãcorum annalibus uidere eſt. Hic Gun-
trannum filium Burgundiæ regem declarat princi-
pem ſanè optimum, qui'que ob ſanctimoniam uitæ
Diuus Guntrãnus rex. diuorum numero habitus eſt: cuius etiam principa-
tu Burgundiam Aurelianorum ditioni coniunctam,
fama, ſcripto'que proditum eſt. Porrò Burgundia
ex eo penes Francorum Reges fuit. De regni uerò
huius initijs, hoc à rerum ſcriptoribus deſcripſimus.
Romani Imperij propè iam maieſtate conuulſa,
Theodoſij iunioris, Valentiniani tertij Maioriani,
Initium Burgund. regni. Seueriani, Anthemij, Liberij, Glicerij, Auguſtuli
temporibus, Burgundiones in Gallia ui confidentes

multò maximum in ea regnum erexerunt. Nam ſuam prius Rempublicam in Germania citra principum operam adminiſtrarunt. G. Tilesberius Tribunus militum ad Othonem quartum huius nominis Imperatorem ad hunc modum circunſcribit. Prouincia Narbonenſis, Galliarum pars habet ab oriente Alpes Cottias: inter quas, & mare, & Rhenum ſunt hæ Prouinciæ. Arelate, quæ caput eſt regni Burgundiæ: Vienna, quæ Cancellaria regni gaudet: Tarentaſienſis, Ebredunenſis, Aquenſis, & pro antiqua ſui parte Lugdunum, ac Biſuntium. Habet Narbonenſis Prouincia ab occidente Hiſpaniam, à Circio Aquitaniam, à Septentrione Lugdunum, ab Aquilone Galliam Belgicam, à Meridie mare Gallicum, quod eſt inter Sardiniam, & inſulas Baleares, habens in fronte, quà Rhodanus fluuius exit in mare, Sticadas inſulas, quas uulgò Camergas nominant. Sunt tamen, qui montibus, fluminibus'que ſic includant Burgundiam ueterem, à Meridie Gallico mari: ab Oriente Rheno, & Alpibus, iugo'que Syneſio: à Septentrione monte Voſeſo: in quo oritur Araris prorſus ad Burgundiam pertinēs: ab Occidente Ligeri, & Sequana fluminibus. Vnde palàm eſt Burgundicæ ditionis (id quod magno, certoq; argumento eſt, gētem, potentiam'q; Burgundicam longè, late'q; ſemper patuiſſe, & non paucis imperaſſe, gloria'q; nō minima fuiſſe) quondam terminos in treis Gallias promotos. Siquidem penè cōplectitur, quicquid fluuiorum eſt in Gallicis

*G. Tilesberius.*

*Caput Burgundiæ ueteris.*

*Vienna Cancellarij Burgund. ſedes.*

*Burgundia antiqua.*

colllimitijs: Sequana enim ſeiungit Celticam à Belgica. Idem præſtant Iſara, atque Araris in ſuis tractibus. Ligeris autem Celticam ab Aquitania diſterminat. Verùm huius regni fines ſcitè præſcriptos à Ligurino iudicemus: qui res geſtas Federici Oenobarbi Cæſaris illuſtrauit. Ille de Beatrice Reynaldi Burgundionici principis filia eiuſdem Cæſaris Federici uxore ita canit:

Ligurinus Poëta.

*Quam comes Allobrogum regni de gente uetuſta*
*Ortus, & ipſe ſuis Reynaldus clarior actis*
*Progenuit, moriensque tuos Burgundia fines*
*Orbatæ in teneris, & pupillaribus annis,*
*Et ualidas urbes, munitaque caſtra reliquit.*
*Hæc adeò tellus à ſedibus incipit illis:*
*Quà Baſilea ſuos uicino flumine muros*
*Alluit, & Rhenum uenientem læta ſalutat:*
*Innumerosque tenens populos, hinc Gallica rura*
*Mordet, & hinc rigidis ſcopuloſæ rupibus Alpis*
*Arctatur, tractuque mari protenditur uſque,*
*Quà rapidus primas Rhodanus maris influit undas*
*Quaque caput regni, ſedesque fuiſſe uetuſti*
*Fertur Arelatum priſcorum curia regum.*
*Téque ſibi iungens æquo Prouincia fine,*
*Nomen apud ueteres regni, titulumque gerebat.*
*Cuius Arelatum ſedes, & finis ab illa*

Parte

*Parte ferebatur, donec ſuprema uoluntas*
*Regis Radulphi, regnis accedere noſtris*
*Iuſsit, & antiqui detraxit nomen honoris:*
*Vt iam non regnum, ſed ſit bona portio regni.*
*Has tibi Metropoles, & primi nominis urbes*
*Chryſopolim placidam, Lugdunum, ſiue Viennam,*
*Quæq; tuos ſpumante mari Prouincia fines*
*Claudit, Arelatum uariis obnoxia uentis:*
*Chryſopolim Dubius: reliquas perlabitur amnis*
*Maximus Allobrogum, Rhodanus dominator aquarum.*

*Deſijt Burgūdia regnū eſſe poſt Radulphum.*

*Veſontio dicta olim Chryſopolis*

Hæc autem fuit Beatrix Auguſta, quæ cùm miro uidēdi Mediolani flagraret deſiderio, quòd paſsim audiret eſſe pulcherrimam, florentiſsimamq; Chriſtiani orbis ciuitatem, Mediolanum exiguo comitatu uenit: ciues uerò facinus poſt homines natos exitioſiſsimum, flagitioſiſsimum'que aggreſsi ſunt. Nam Auguſtam ſtrigoſo aſello præpoſterè impoſitam, ac pro loro cauda uti coactam, deniq; per cōpita diu inuectam, probris, cachinnis, ludibrioq; nefario perfuſam urbe tandem turpiſsimo iumento inſidentem mouent, puerorum gregibus cœno abeuntem inceſſentibus. Plurimum quidem uoluptatis tulerunt Mediolanenſes, ſed nimio emptum: nam certior tam pudendi ſpectaculi Oenobarbus magnis uiribus Mediolanum adortus, urbemq; ſub ſignis acie multiplici ingreſſus, clauſis'que eueſtigio portis, ſic

*Memorabile de Mediolanenſibus.*

cum ciuibus ſceleſtiſsimis egit, ut, qui ſuæ ſaluti conſultum uellent, cogerentur ex ueteris, ferocisq́ꝫ mulæ ano ficos, uel nymphion dentibus extrahere: qui nouum ſupplicium detrectarent, capitis ſupplicio luerent: at, qui os impuriſsimum, uirus illud ſuggentes admouebant quadrupedis pudēdo, cùm maximum cerebricoſo animali cruciatū inferrēt, calcibus ſubinde iactatis enecabantur. Inuēti tamen ſunt, qui ſecuri caput ſubijcere, quàm mulę ficos, ut uocāt, mordicus conuellere maluerint. Eius ludibrij, ſupplicijq́ꝫ nota perpetua ciuium Mediolanenſium nomini inuſta in hanc uſque ætatem noſtram perdurat, uſqꝫ eò, ut qui uelit Mediolanenſi conuitium facere, ficos grauis inſtar probri obijciat. Viderint igit̃ rebelles, ac refractarij, quanti res ſit exitij Principibus illudere, eosq́ꝫ ad iracundiam prouocare, qui fulmen geſtant in manibus. Verùm ut ad inſtitutum recurramus: ditionem Burgundionicam olim exornabant (ut hodie uocant) Ducatus, comitatusq́ꝫ Allobrogum, Sabaudiæ, Octodorenſium, Aſtenſium (nam Alpes quoqꝫ ſupergreſſos, ne ipſa quidem Italia temperantes ſcriptores commemorant) Auraſienſis, Pedomōtenſis, Landgrauia Alſatiæ, Comitatus Sequanicus (qui eſt hodie penes Cæſarem) Palatinus, Ferratenſis (quem iam aliò diuulſum per aliquot annos patrum noſtrorum memoria Carolus dux à Sigiſmundo Auſtriæ Archiſtratego Cæſ. Federici fratre publico cōmercio redemit) Montis Bericardi, Quadrelēſis, Niuernenſis, Matiſconēſis, Cabilonenſis (qui à rege Ludouico

*Carolus dux Burgundiæ Comitatum Ferratēſem à Sigiſmundo Auſtrio emit.*

*Ludouicus Iunior Comi*

uico Iuniore regis Craſsi filio legitur translatus in poteſtatē ducis Burgundiæ) Antiſsiodorenſis, Tornodorenſis, Iuniacenſis, Foreſtenſis, Valentinenſis, Auenionenſis, aliæq́ ditiones permultæ: cuiuſmodi ſunt Secuſianorum, Salinenſium, Nuceriorum, Vandelionum, Foſsinorum. Sunt, qui adĳciant iuga Heluetiorum, & quicquid fuit in amplexu maximæ Sequanorum. Hîc autem inſuperabili ſalebra inhibeor. Fuerant hoc loco inferenda compendiò regum nomina; niſi omnia ſiue noſtrorum hominum inertia, ſiue temporum iniuria, obliuioni altiſsimæ immortua eſſent, quæ forſan olim in lucem emergent. Recēns autē uenit in manus meas libellus Gallicorum fabulamentorū. Dĳ boni, quæ rerum portēta! quanta ſomniorum impudentia! Miror hercle, qua fronte tantum mendaciorum potuerit cōgerere; qui hoc peperit. Cæterùm Otho eius nominis quartus ſe Burgūdię regē appellauit, & poſſedit. Regnū uerò eſſe, ut quidā uolūt, deſĳt, Henrici primi regis Francorū tempore. Quidā ſecus tradūt. Vnde nihil certi poſſis colligere. Reges Burgūdionibus eſſe deſĳſſe, hac ratione tradūt. Cùm Radulpho regi à domeſticis, externis'ue hoſtibus plurimū exhiberet negotĳ, extremaq́ omia impēdêrent, isq́ ſine liberis diu regnaſſet (ſororis odio, quā peſsimè oderat) imperĳ inſignia moriēs Cōrado imperatori reliquit, qui Burgundionibus bellica uirtute, & cōſilio annis xv. pręfuit. Eius opus Radulphi eſt cœnobiū diui Lanomari ad ligerim Bleſis. Conradus uerò cū in humanis eſſe deſĳſſet

*tatum Cabilonen. Duci Burg. dedit.*

*Quo tēpore regnum eſſe Burgundia deſierit.*

*Cœnobiū d. Lanomari.*

Henricum filium regem declarauit.

## *Status Burgundiæ poſt Reges.*

*Duces pro Regibus.*

POſt ſublatos Reges,ad Duces ſtatus reciddit. Clotharius enim Galliæ potens ( quanquàm poſt eum multi Regum nomen uſurparunt ) emerendæ gentis gratiæ cauſa,Bernarium Ducem præfecit, Burgundionicæ iuuentutis principem Ciſiuranis: Tranſiuranis uerò Herponem Albonis illius, qui ob res egregiè, fortiterq; geſtas Guntranno regi acceptiſſimus fuerat. Et ne ſub regibus nati, Regum ſuorum deſiderio,res nouas molirentur, Francus magiſtratum ſe nunquàm abrogaturum propalam, perſanctéq; recepit. Tranſiurani Gallorum ferociſsimi,ac ſui iuris,morte regum, quodammodo effecti, Herponem oppreſſere uitia impune gliſcentia, ac temporum iniuria nata coërcere nitentem. Huius cædis autorem Alethæum procerum nobiliſsimum ferunt, qui noxam paulò pòſt cum percuſſoribus ſecuri luit, huius rei acriter quæſtione ab rege habita. Vernarius anno uix circumacto moritur,cuius filius Godinus ſuffectus, tertiodecimo,quàm dux creatus fuerat, cõuiuente Dagoberto Clotharij filio Carnutibus frequenti conuiuio interimitur, dignus fortaſſis tali exitu,ſed indicta cauſa. Licet enim nefarium connubium cum nouerca contraxiſſet,inceſti tamen ueniam,uel Dagoberto deprecãte impetrauerat. A'

*Ducis magiſtratus perpetuus.*

cuius

cuius cæde Burgundiones communi conſilio ſuccla-
marunt, uni Clothario adhærendum eſſe, unum o-
mnia futurum. Id iucundius regi, quàm cuiquam ſit
credibile, accidit: is Clothario ſupremus annus fuit.
Poſt cuius obitum Dagobertus Burgundiæ urbes
circumiuit, proceresq́, qui integri à factione Brunul
phi erant, in fidem, beneficiumq́ admiſit. Is Clotha-
rij auunculus cum ſuæ factionis hominibus agebat,
ne uera, germanaq́ Francia, potiſsima Galliæ pars,
Dagoberto obueniret, qui patris iudicio Auſtraſiæ
(ſic Mettenſes uocant) ſalutatus fuerat Rex. Quin
potius Ariberto Clotharij minori natu filio, cuius
tutelam Brunulphus gerebat: atque hoc pallio re-
gnum affectabat. Cæterùm Burgundiones ad ſuo-
rum principum priſtinum deſiderium reuoluti ex
ſuo potius corpore Ducem declarari, quàm dari à
Francis contendebant: ijs Flaccatus, Vilebardusq́
Principes, ſiue præfecti fuere. Hic à Burgundioni-
bus, ille à Clodouæo Dagoberti filio, rege Franco-
rum ſalutatus. Vilebardus, quo popularibus ſuis uir
tutem probaret, Flaccato in finibus Heduorum te-
mere congreſſus, prælio commiſſo occubuit. In eo
rerum motu, Burgundia penes Carolum Martellum
manſit: qua etiam tempeſtate Saracenorum procel-
lam ſenſiſſe fertur. Illi etenim ad delendam ignomi-
niam, quam ad Turonum urbem paulò antè accepe-
rant, pœnasq́ expetendas, tranſmiſſo Rhodano, in
Burgundiam deſcendunt faces, uaſtitatemq́ circun-
ferentes, direpta phana, prophanáq́: idq́ tanta cele-
G 3 ritate,

ritate, ut priuſquàm Martello uires colligere licue-
rit, illi odium religionis, gentisq́ ferro expleuerint.
His Barbarorũ intemperijs factum, ut Lugdunum,
ac Vienna ſuis diu Epiſcopis uiduæ fuerint: at Mar
tellus, ad quem rerum Gallicarum ſumma redierat,
Burgundiæ principatum Francis regibus ueluti per
manus tradidit: in quorũ poteſtate, ad Lotharij Au-
guſti uſque tempora perſtitit, qui Fontoniaca clade
accepta religione motus ſe monachum profeſſus eſt,
ut eodem ſupplicij genere, quo pium patrem afflixe
rat, pœnas de ſeipſo exigeret. Itaque duobus filijs u-
triuſq; Burgundiæ ius attribuit. Carolo Tranſiuren
ſis (quæ & prouincia Romana) obuenit. Lothario al
*Lotharingia.* tera, cum Auſtraſia: à quo tunc primùm dicta eſt Lo-
tharingia. Sublato è uiuis Carolo, Fratres Ludoui-
cus Italiæ, idemq́ Auguſtus, ac Lotharius demortui
opes maiore, quàm pro fratrum regum concordia
partiti ſunt. Ludouicus Trãſiuranam, quòd ea Italiæ
eſſet uicina, ſortitus eſt. Lotharij uerò graui Pontifi-
cis denuntiatione piorum grege moti regna Caluus
rex inuaſit, Burgundiam'que Ciſiuranam Ludouico
fratri committit: quam tamen, Pontificis fulmen ue-
ritus, Auguſtæ reddidit: quam per eos dies maritus
externo bello implicitus, in Galliam adeundæ hære-
ditatis ergò miſerat. Cum'que Cæſar Burgundiæ
utrique iura daret, conſtat Theodoricum quendam
Ciſiuranis ducem datum. Erãt prorſus hoſtiles con-
tentiones inter hunc, & Boſonem Reginæ Francicæ
*Boſo rex.* fratrem; quæ eò uſque exarſerat, ut Boſo à pontifice

Roma

Romano Ioanne, ſeu ui, ſeu precariò, Burgundiæ inſignia acceperit, ac non modò Dux, ſed & rex declararetu r. Hic cùm cenſum eccleſiaſticum in fiſcum locis pluribus uertiſſet, tandem pœnitudine ductus, uerba huiuſmodi teſtamento indidit, quæ Cariloci in Archiuis aſſeruantur. Inſatiabilis ſecularium cupiditas, niſi aut amore æternæ patriæ fuerit accenſa, aut terrore futuri iudicij pauefacta, ſitim ſuam nullatenus extinguere proculdubio poterit. Vnde fit, ut non modò res pauperum, quinetiam Eccleſiaſticas in ſuos non timeat uſus transferre: quod me egiſſe ego Boſo peccator fateor: reuerſus enim ad cor, & cogitans ſummi, & ſeueri iudicis animaduerſionem, uolo, & deſidero, omnia, quæ à me fuerunt ablata Abbatiæ Cariloci, quam Abbati omnino detinui, reſtituere, & de meis ad confratrum præfatæ domus ſuſtentationem tradere. Hoc meum feci, & condidi teſtamentum, quod hæredes meos rogo obſeruare. Datum III. Nonas Decembris, indictione duodecima. Anno primo Regni Domini Boſonis. Actum Cariloci publicè. Id cœnobium eſt, quod Ratbertus Boſonis frater Valentinenſium Epiſcopus, magnis ſumptibus ſubſtruxit, magniſq; auxit prouentibus in finibus agri Lugdunenſis: idq; anno incarnationis domini noſtri Ieſu Chriſti octingēteſimo ſeptuageſimo ſexto, Imperij Caroli Calui anno primo. Tanta fuit priorum ſeculorū erga rem eccleſiaſticam munificentia, atq; liberalitas: tantuſq; eccleſiaſticos offendendi timor. Cæterùm coiturum

*Carilocum Cœnobium.*
*Boſonis teſtamentum.*
*Sacrilegij pœnitudo.*

regnum Boſonis opera rurſus uidebatur, niſi Ludouicus, Carolomanusq́ Balbi regis ex pellice filij regium nomen edentes Boſonem, eius'q́ filium Ludouicum Ciſiuranis temperare coëgiſſent, ſe'q́ Prouinciæ finibus cõtinere. Ludouicum porrò in acie compræhenſum Berẽgarius Italiæ rex luminibus priuat, quòd ſpe Italici regni adductus in Italiam cõtra iuſiurandi religionẽ tranſiſſet. Huius filius fuit Richardus iam Francorum, ſummorum'q́ regum ſanguine hebeſcente, ac conſeneſcente: quibus temporibus in præfecturas uerius, quàm in ditiones Burgundia partiebatur: quò fit, ut hîc nobis tot Pręfecti in principum ordine denſiſsimam obfundant caliginem. Fuiſſe enim per ea tempora Hugonem Arelatẽſium Principem, cuius fatum Richardi principatus exceperit, tradunt, cuius'q́ filiam uxorem duxerit Otho, Hugonis magni Pariſiorum comitis filius uitę ſanè breuioris, quàm ut liberis operam dare licuerit: nam & hunc ſocer Imperij conſortem fecerat heroicis planè uirtutibus ornatum: ſed ferè fit, ut optima quæq́ citiſsimè aboleãtur, deterrima quodam fortunæ glutino pertinaciſsimè hæreant. Reliquit Otho Henricum fratrem ſucceſſorem. Quos ad hunc Henricum uſq́ enumerauimus, Limitum potius præfectos, ut iã admonui, fuiſſe credibile eſt. Ad eos igitur, quos re uera Duces fuiſſe conſtat, feſtinat oratio: quos etiam Chriſtiani orbis Primarios eſſe ſancit ſacra Baſilienſis Synodus: ſiue quòd ſeipſos Reipublicæ Chriſtianæ totos impenderint, ſiue quòd opum uim maximam

*Limitum cuſtodes.*

ximam profuderint in piorum alimoniã, ditionis'q; prouentum in ſpecioſiſsimas ſtructuras erogarint, ut ſi quis ea expenderit, quæ alijs in regionibus uiſuntur, ſordida planè, & deſpicienda præ his habeantur: quæ non ſolùm excitarunt noſtri Principes, ſed ampliſsimis etiam donarijs largiſsimè ſunt proſecuti. Horum itaq; catalogum huc intulimus. Henricum igitur Hugonis cognomento Capeti fratrem primum Burgund. Ducem produ͂t. Hic ſibi nomen magnum peperit eo bello, quod à Lothario Gallorum rege aduerſus Othonem Cæſarem geſtum eſt. Cùm enim Gallicas copias eduxiſſet, Germanicum exercitum, qui Lutetiam uſq; populabundus peruenerat, magna ſtrage diſsipauit: ipſum Cęſarem fuga ſibi conſulentem Arduennæ ſaltus texit. Hic Henricus nullis ex uxore ſublatis liberis moriens Burgundionicam ditionem Roberto fratris regis filio teſtamento reliquit, qui et ipſe Francorum regnum inijt: eoq; nomine ad Francorum reges ditionis ius deuoluitur. Niuerne͂ſium comes Landericus Henrico elato ſeſe Burgundionum ducem dictitabat, & iam arces in deditionem acceperat: cui obuiam procedens Robertus rex cum Neuſtricis auxilijs, quorum uirtus eo bello enituit, uniuerſa ditiõe excedere coẽgit, oppugnata Antiſsiodorenſium ciuitate: in qua Landericus menſes pluſculos pertulerat obſidionem: ciues ultimam uim experiri nolentes urbem, Landericumq; dedidere. Auallonis arx, quæ pertinaciter reſtitit, trimeſtri obſidione domita in poteſtatẽ uenit,

*Primus Burgund. Dux.*

*Hoc etiam nomine iure Burgũdiam ſibi Franci uendicant.*

non ſine prodigio. Fama eſt enim Robertũ regem, dum ſacrum carmen in caſtris animi gratia conci‐nit, Auallonis arcem ſolo tenus concidiſſe. Vniuerſo igitur Ducatu potitus rex Burgundionibus ducem dedit filium, quo ipſe nomine, Robertum. Cæterùm licet paulò antè Radulphus regia exuiſſet inſignia, Burgund. tamen comitatum, quoad uixit, dicto au‐dientem habuit. Ducatus uerò (ut dixi) Francos re‐ſpexerat. Robertus uiuo adhuc patre in ducẽ aſſum‐ptus eſt. Hic fratrem Gallorum regem Henricum bello diu exercuit, dum ad ſe Gallicum trahit impe‐rium: quod tamen perparuis initijs, ac propè nul‐lo hauſto cruore confectum eſt. Conſtantia enim ma ter, quæ Robertum regem ſalutauerat, ut ipſa quoq; pacem bello prǫferret, facilè adducta eſt, eadem ma‐ieſtate apud Henricum futura, quam à Roberto ex‐pectaſſet. Cõuenit itaq;, ut Robertus ſuas ſibi res ha‐beret, Ducatu Burgundiæ nobiliſsimo, opulentiſsi‐moq; contentus. Huius opus eſt uiſenda illa Baſilica Diuæ uirgini matri ſacra apud Semurium Mandu‐biorum oppidũ: multis alioqui immunitatibus cœ‐nobitas ad Benigni Diuione donauit. Deinde non ita multò pòſt relictis ex Emengarda uxore, Henri‐co, atq; Hugone filijs deceſsit. Elatus eſt Semurium in æde à ſe ædificata. In cuius demortui locum ſuffe‐ctus eſt Henricus filius: cuius tanta fertur fuiſſe mo‐deſtia, ut ad prodigium uſque illum amore proſecu‐ti ſint populares: tãta iuſtitia, ut uulgò ſceleratorum flagellum uocitaretur: tanta religio, ut nutantem

*Auallonem prodigiosè expugnatũ fuiſſe.*

*Roberti Ducis opus Semurianum cœnobium.*

pietatem

pietatem illis temporibus uelut humeris fulcire uide
retur. Denique quicquid in Principe eſſe oportuit,
in hoc fuiſſe cumulatiſsimè, memoriæ proditum eſt.
Deceſsit autem duobus relictis filijs Hugone, atque
Othone: Hugonem Henrici filium, imperium pa- *Hugo tondetur.*
ternum adeptum, tantum huius ſeculi tædium inua-
ſit, ut ſeipſum cilicio obnubens arctiſsimo Clunia-
cenſium inſtituto manciparit, perq; calcatas Princi-
pum delitias ad ſeruatorem Chriſtum euolarit an-
no, qui fuit ſalutis centeſimus ſupra mileſimum. In 1100.
principatu fratri Otho ſubrogatus eſt. Hic Ciſter- *Ciſtertium*
tium cœnobium magnificis excitauit impendijs, in *Monaſterium*
agro Belnenſi loco uliginoſo, quod à Ciſternis ſor- *quis cõ-*
titum nomẽ credunt. Qui cùm in Aſiam cogitaſſet, *diderit.*
expeditionemq; adornaſſet iamiam exercitum traie 1122.
cturus, præmatura morte interceptus eſt, magno re-
rum domeſticarum incõmodo. Is filium Hugonem
in Aſiam mouens ditionis habenis admouit. Qui
nuntiata patris morte principatum inijt, & in impe-
rio annos ſupra uiginti fuit, patriq; non abſimilis in
Benignianos monachos quicquid potuit ſiue reddi-
tus, ſiue immunitatis profudit. Plombinum Longo-
uicum, Bonofontemq; agri Diuionenſis uicos in eos
tranſtulit. Otho principatui inauguratus eſt ſublato
patre, qui Antiſsiodorenſis cœnobitas ad Germani
innumeris ditauit redditibus. Villanouanos, & Ma
gniacenſes (id uicis duobus nomen eſt) à publicis ue
ctigalibus immunes uoluit. Poſt Othonis fatũ Bur-
gundi Hugonem principem iubẽt, uirum me hercle

piiſsimum,qui Hieroſolymitanam expeditionem fe
liciſsimis confecit auſpicijs. Sub eius reditum Bal-
Sacrarium. zæium uicum Benignmanis contulit, pulcherrimiq;
operis ædem Diuione ad Regiam extruxit. Huius
etiam munus eſt Diuionenſium ciuium immunitas,
Huic primùm nupſit Eliſa Lothoringica: quæ,cùm
è uiuis ſublata eſſet,Beatricem Delphinatis Allobro-
gici filiam duxit uxorem. Is in Aſia magno omnium
luctu confectus eſt,cùm rurſus ad ſacrum bellum pe-
netraſſet Latini exercitus imperator. Huius hæres
principatus fuit Otho filius: cuius imperium incidit
1200. in annum milleſimum ducenteſimum. Eliſam Ver-
geyanam uxorem habuit ex Burgundionibus clariſ-
ſima nobilium familia: ex ea filium Hugonē genuit
futurum Ducatus hęredem. Hic Belnam urbem pul
cherrimam miro proſecutus eſt amore(ut licet conij
cere ex immunitatibus huic conceſsis) nec Nuytho-
nes aſpernatus eſt. Sed & Talentinam arcem exor-
nauit. Ad Ciſtertiū elatus eſt,pro foribusq; baſilicæ
ſepultus. Poſt hunc aſcitus eſt Robertus ſuperioris
filius circa annum ducēteſimum ſeptuageſimum ter-
1273. tium ſupra milleſimum. Huius fuit uxor Agnes diui
Francorum regis Ludouici filia. Hic diplomatibus,
quicquid à maioribus fuerat locis ſacris contributū,
ratum habuit. Deinde Alnetēſes, Semurianosq; mul
tis affecit beneficijs: ex Frācica uxore multis relictis
filijs migrauit ex ſeculo. Cuius Hugo liberorum na-
tu maximus patri in Ducatu ſubrogatus eſt,rei mili
taris peritiſsimus,qui poſt res egregiè,fortiterq; ge-
ſtas

ſtas ſine liberis è uiuis exceſſit, cùm magnam alioqui ſpem de ſe concitaſſet. Hugonem Eudo ſubſecutus eſt uxorem ducens Ioannam Arteſiorum principem: ex qua Philippum genuit unicum paternæ ditionis hæredem. Huius & opera, & pietate cõſtructum eſt Chartuſianorum Belnenſiũ cœnobium circa annum Chriſtianæ ſalutis Milleſimum trecenteſimum tri- 1332.
geſimum ſecundum. Eudone adhuc in uiuis agente, Philippus filius, Ioannæ Bolonenſium principi matrimonio iunctus adhuc adoleſcens obijt: idq; grauida uxore, quæ Philippum poſthumum poſteà peperit. Qui ab auo Eudone in imperio relictus ſine liberis, & ipſe moriens Burgundiæ Ducatum Ioanni Francorum regi, qui Ioannam uiduam uxorem adGmiſerat, reliquit. Carolus huius appellationis quintus, Ioannis regis filius, & Francorum rex Philippo fratri cognomẽto audaci (quòd fratri in ſacro Regiæ unctionis inſultaſſet) Burgundiæ Ducatum mandauit: qui Pictauenſi pugna, quæ cum Anglis magna Francorum clade commiſſa eſt, cum patre Rege in Anglorum poteſtatẽ uenit. Hic ex Margarita Flandrenſi Ioannem filiũ reliquit, elatusq; ad ædem Chartuſianam, quam ipſe Diuione pro muris regalibus ſtructuris à terra eduxerat. Audito paternæ mortis nuntio Ioannes ducis ſumpſit inſignia, uir factioſus, ac turbulentus: qui cùm diutiſsimè atroces inimicitias cum Ludouico duce Aureliorum exercuiſſet, illum inſidijs miſerabiliter circunuentum necandum ſiccarijs præbuit Lutetiæ, dum ad multam noctem

*Carolus quintus rex Frãciæ, Philippum fratrẽ Burgũdi. ducem ſalutat.*

*Ludouicus Aureliorum dux cæſus.*

domum ſine ſatellitio ſe recipit, nec ipſe nefarium fa-
cinus impune tulit. Iis enim, quibus Ludouicum ex-
ceperat, inſidijs cecidit apud Monſteriolum (id op-
*Ioannes dux Burg. cæſus.* piduli nomen ad confluentum Ionæ, & Sequanæ)
quorum Principum cædes nobis uix ęſtimandis cõ-
ſtitit cladibus. Illorum ſiquidem uulnerum diu luit
Gallia uniuerſa cruorem: quæ & cicatricem tanto an
norum curſu uixdum duxere. Ioannis cadauer, ex eo,
in quo cæſus fuerat, loco refoſſum Diuionem adue-
ctum, paternoq; conditum ſepulchro, ubi cadauera
etiamnum plumbeis forulis incluſa uiſuntur, ſuper-
additis tumulis marmoreis miræ pulchritudinis.
Hic admodum puer cum Turcis acie conflixit, infe-
liciterq; ceſsit armorum tyrocinium. Nam cùm pa-
ternis ſpiritibus plenus incautius hoſtium agmen,
confertos'q; Turcas adoritur, ab ijs cum paucis ma-
gni nominis Iuuenibus captus ſecuri caput ſubiectu
rus erat, niſi uates quidam prædixiſſet, hunc pluri-
mum Chriſtiani ſanguinis effuſurum, ſi ſuis redde-
retur: quod paulò pòſt contigit: nullus enim eius æ-
tatis Principum pluribus tragœdijs Galliam inuol
*Planula Symbolum.* uit. Hic Planulam pro ſymbolo geſtare ſolitus erat.
Ludouico Aureliano, quocum ſimultatibus grauiſ-
ſimis decertabat, exitium intentans, ſe'que ſolo om-
nia æquaturum minitans, Ludouicus ex aduerſo,
nodoſum, ſcabrum'que fuſtem pictum aduerſarijs
oſtentabat, quo omnia in tuberem excitaturum, quà
fuſtem cumque impingeret, ſignificabat. Ioannis
cædem Philippi Pij principatus excepit, qui in in-
feli

feliciſsima tempora incurrit. Anglorum enim gens Galliæ imminens uniuerſam propè Franciam ſubegerat, huius Philippi auſpicijs, qui paternæ cædis iniuriam ulciſci in animum pertinaciter induxerat. Aurei uelleris, ſiue Chryſomalli inſigne huius eſt inſtitutum, ex ſacra Thebanorum legione, ut quibuſdam uiſum eſt, deſumptum. Hic Leodios intempeſtiuis actos, ac refractarios miſerabili internetione deleuit, immiſſo in urbem aratro, ac diſſeminato ſale (quod in extremo excidio fieri ſolet) prius proſtratis mœnibus, domibusq́ incenſis. Eo excidio nõ ſacris, prophanis'ue temperatum: non ſexus, non ætatis habita ratio, cædes in uulgus promiſcuè graſſata, nullum denicꝫ immanitatis exemplum nõ æditum: monimẽta ſanctitatis tot deinceps ſeculis intacta, inuiolataq́, & quorum nullum eſt commercium, è templis rapta, diſtracta, pretio addicta, proculq́ in Burgundiam trãſportata, magno eorum exemplo, qui principes ludibrijs inceſſunt. Eius excidij prodigioſi cauſam, quò trãſiret ad poſteros, æneæ pilæ inſculptam, publicè prodidit Philippus. Ex frugi principibus improbos naſci, ex pijs feroces nouum non eſt: idq́ nimis uerum eſſe crebrò expertus eſt Chriſtianus orbis, recẽsq́ in huius Philippi filio Carolo, qui Gallias funeſtis bellis inuoluit, hoſtesq́ modò fregit, modò uicit: cum'q; eſſet in Francia ex eius animi ſentẽtia debellatũ, icto cum Francis fœdere, Thoringiam, ac Leucos inuaſit, à quibus ingẽti prælio fuſus, cæſus'q; eſt: Thoringorum tamen Principum tumulo illatus

*Chryſomallus inſigne.*

*Leodium euertitur.*

*Principibus illudere periculoſum.*

*Carolus cæſus pugna lotharingica.*

ad regiam Nauceïanam. Relicta eſt à Carolo Ma-
Mariæ caſus ria uirguncula, quę in Auſtriacos principes enupſit.
Ea equi gradarij ruina ſtrata, tã grauiter afflicta eſt,
ut animam paulò pòſt efflauerit. Cæterùm cæſo Du
ce, & exercitu profligato, Ludouicus rex huius ap-
pellationis undecimus, Burgundiam in fidem rece-
pit. Licet Sequani paulò pòſt Cæſares agnouerint.
Qui autem Ducatus tenētur finibus, Auxonienſiſq;
agri limitibus, hactenus Francis regibus paruerunt.
Comitatus. Dicat hîc aliquis Burgund. Comites aliquo numero
habendos: at iam teſtati ſumus omnia tam alta obli-
uionis caligine defoſſa, ut de his rectè pauca dicere
ſit difficile, omnia impoſsibile. Deinde ad eum po-
tius ſpectant, qui perpetuam inſtituit rerum narra-
tionē, quàm ad has tumultuarias obſeruatiunculas.

*Burgundiam ſemper penes Francos Re-*
*ges fuiſſe.*

Clothildis. GAllici iuris ſemper fuiſſe Burgūdiam ex
Clothilde regina ſatis conſtat: quæ Clo-
douæi magni uxor imperij Burgundio-
nici ius ad Frãcos tranſtulit, propinquis
omnibus ſublatis, quibuſcum de iure ditionis potuit
naſci contentio. Itaq; materno iure ad Theodoricum
Clodouæi filium natu maximū peruenit, qui Theo-
deberto filio ueluti per manus tradidit. Hic cùm non
ſuperfuiſſet diu, Theobaldū Burgundiæ principem
reliquit: cuius morte Galliæ totius potens euaſit Clo
tharius

tharius. Hic Guntranni pater fuit principis Burgundiæ glorioſiſsimi: qui cùm nũquam Francorum rex fuerit, ſe tamen Francorũ regem appellitat, in diplomate concilij Matiſconenſis ſecundi, cuius eſt inſcriptio. Guntrannus rex Francorum omnibus Pontificibus, ac uniuerſis Sacerdotibus, & cunctis Iudicibus, in regione noſtra conſtitutis, &c. Vnde liquet iam inde ab initio Burgundiones Francorum appellatione deſignatos amicitiæ cõglutinandæ cauſa: niſi quis malit Aurelianenſes intelligere, quorum princeps fuiſſe perhibet. Veriſimilius eſt Burgundiones deſignari, quorum fines longè ampliores tum erãt, quàm unica Aureliorum prouincia: quæ tamen inter Francorũ Tetrarchias id ætatis numerabatur. Paulò pòſt tamen adducti Burgund. ſuorum Regum deſiderio, perpetuos magiſtratus à Francis Regibus acceperunt, adactis tamen prius iureiurãdo regibus nunquam eum magiſtratum (Ducem uocant) abrogatum iri, quandiu Francos agnoſcerent, illorumq́ ſe beneficiarios profiterentur. Sunt, qui tradant legem Caroli Magni Cæſ. tẽporibus latam de Francicis Patritijs. Ii duodecim præcipuè nobilitatis principes erant, penes quos erat rerum ſumma. Regum cauſas iudicabant, bella iubebant, fœdera feriebant, eorum ſcita perinde, atque oracula habebantur: quorum primum, ac præcipuum fuiſſe Burgundionum Ducem uulgò notum eſt. De ijs multa Budæus in annotationibus iuris. Verùm eadem opera factũ fuiſſe conijcio, ut in Ducum ſerie ſoli mares hæreditatem

*Burgundiones Francorum appellatione cẽſeri.*

*Burgundiones Francorum Beneficiarij.*

*Dux Burgũdionum Primarius Patritius.*

adirent, nulla ſexus fœminei habita ratione: quod ex Salica Francorum lege de Legibus ſancitum eſt: quam à Saliȷs Alpinis populis dictam olim me admonuit magnanimus, ac eruditus uir D. Bellaius Langius Alpini limitis præfectus: cuius eruditioni, ac longo rerum uſui regni limites promotos debet Gallia, ut taceam de literis, ac linguis: cuius auſpiciȷs nunquàm poſt homines natos celebriores fuerunt. Cæterùm hoc etiam nomine Burgūdiam ſibi Franci uendicant, quòd Henrici (is Capeti filius fuit) morte Burgundia Roberto regi Francorū fratri teſtamento obuenit, cùm ille nullis ſublatis liberis migraſſet ex hoc ſeculo: qua etiam ætate Landericus Niuernēſium princeps in fines Burgundiæ, infeſto exercitu inuaſerat, quem domitum, armisq́; exutum Robertus bello abſtinere coēgit, pacemq́; agere. Lege igitur Salica cenſeri Burgundiones Senatus ſupremi edicto cautum eſt tempore Eudonis Burgundiæ ducis: cuius filiam Adellam Franci regis filius uxorem duxit: cuius nomine cùm Burgundionicā ditionē ad ſe traheret, ſubortus eſt iuuenis quiſpiā, qui Eudonē paterno ſanguine, ac genere attingebat: cum'que ſe apud ſuos ducē eſſe contēderet, res'q́; ad iudices eſſet delata, ſecūdum eum iudicatū eſt, qui Eudoni paterno genere proximus erat, cautū'q́; Senatuſconſulto, Burgundiā ad Salicā pertinere. Aequius tulit rex filiū, nurumq́; cauſa cadere, quàm legē illā de maſculis abrogare: qua ſola orbis terrarū florentiſsimū regnū Galliarum hactenus ſubſtitit: ad cuius etiam præſcriptum

*Salica lex à Saliȷs, non à Sale.*

*Bellaius Langius.*

*Salica lex ad Burgundio. pertinet.*

ptum Burgundia longo auorum ordine ad Francos deuoluta eſt, Carolo quinto principe: cuius auſpicijs Philippus frater, quem à fortitudine Audacẽ uocãt, Burgundiæ principatũ inijt. Eius ſoboles in Carolo apud Nanceïum extincta ad Frãcos reges principatus inſignia Salico iure tranſmiſit. Vnde miramur externorum intemperias, qui tot, tam´q; funeſtis tragœdijs orbẽ Chriſtianum ob hanc (quãtulam terræ portionẽ) inuoluerũt. Verùm non admodũ admiratione dignũ uidebit, ſi quis heroica illa Cęſaris dictatoris tẽpora memoria repetat, qbus Hedui, ac Sequani (ad quos hodie Burgũdiæ nomẽ redijt) de monarchia Galliarũ armis contẽdebãt, Europa uniuerſa ad ſpectaculũ excita. Nõ ob aliã opinor cauſam, quàm quòd ſit rerũ omniũ fœcũdiſſima, nec ſit ulla, quacũq; patent fines Galliarũ, prouincia, quę uicinarũ minus opa indigeat, ſiue generoſas uites, ſiue frumẽta, leguminaq;, ſiue piſcoſos lacus, ſiue mercimonia ſpectes. *Sequanos, Heduosq; de imperio Galliæ olim contendiſſe.*

## *Burgundionum mores, & forma.*

QVod ad mores gẽtis attinet, fuiſſe ſtupidam, ſimplicem, ac minimè malam prodiderunt. Sidonius in Epiſtola ad Syagrium ait Burgundiones æquè corporibus, ac ſenſu rigidos eſſe, indolatileſq;. Et ad Cathulinum de nuptijs Raurici, et Hyberiæ, homines barbaros, uoraces, & immodicè proceros, comæ alendę deditos (quam acido Butyro ſolẽt ſubinde abluere) *Stupidi, ſimplicesq; Burgundiones.* *Voraces.*

uocat. Verùm ne quis miretur illos fuiſſe ſtatura humana paulò lõgiore, auguſtioreq́;, ob idq́; ab Apollinari dici ſeptipedes Gygantes, animaduertat oportet proceritatem omni tempore Septentrionalibus populis tributam: cuius rei crebrò meminit in libris triſtium Ouidius de populis Sarmatiæ, apud quos diu exulauit uates dignus fortuna ſecundiore: & apud Procopium Germanicæ fœminæ maritos rident, quòd licet immanis eſſent proceritatis, uinci ſe tamen ab hoſtibus paterẽtur. Scribit Cæſar Germanos ſtaturæ eſſe incredibilis. Idem ait poſt pugnam inuenta fuiſſe corpora illorum ob proceritatem prodigioſa. Vegetius in re militari ait, Romanam breuitatem non potuiſſe obſiſtere proceritati Germanorum, niſi ui armorum fuiſſent ſuperiores. Claudianus poëta nobilis in laudibus Stiliconis de Burgundionibus ad Rhodanum incolentibus, inquit.

Gygantes.

—*Hic Rhodani procera cohors.*

Quando autem Sidonij uerſus ad illorum formam, moresq́; plurimum faciunt, huc eos transferre libuit.

*Quid me, & ſi ualeam parare carmen*
*Faſcenninicolæ iubes Diones*
*Inter crinigeras ſitum cateruas,*
*Et Germanica uerba ſuſtinentem,*
*Laudantem tetrico ſubinde uultu,*
*Quod Burgundio cantat eſculentus*
*Infundens acido comam Butyro:*

Butyro comam per'ue bant.

*Vis*

*Vis dicam tibi, quid poëma frangat?*
*Ex hoc Barbaricis abacta plectris*
*Spernit ſemipedem ſtilum Thalia:*
*Ex quo ſeptipedes uidet patronos.*
*Felices oculos tuos, & aures,*
*Felicemq́; libet uocare naſum,*
*Cui non allia, ſordidæq́; cæpæ*
*Ructant mane nouo decem apparatus.* Allia, & cæpas in delitijs habebãt.
*Quem non ut uetulum patris parentem,*
*Nutricisq́; uirum, die nec orto*
*Tot, tantiq́; petunt ſimul Gygantes,*
*Quot uix Alcinoi culina ferret.*

Et alibi:

*Hic Burgundio ſeptipes frequenter* Septipedes Burgund.
*Flexo poplite ſupplicat quietem.*

Quod autẽ eos culinæ, & ganeæ ſtudioſos fuiſſe contendit, non admodum miror, cùm in hanc etiam diem illic lautiſsima crebrò agitentur conuiuia: nam cùm Gallicæ nationes ornatui corporis, mundicieiq́; ſtudeant plurimum, ſolos Burgundiones ſericos uẽtres geſtare uulgò dici ſolet. Cæterùm ueteres Burgundiones fabrilibus miniſterijs, atq; agriculturæ, uitibusq́; colendis quęſtum feciſſe proditum eſt memoriæ, inter eos'q; primas tenuiſſe, qui præ cæteris in his rebus eſſent inſignes. His dicendi magiſtratus poteſtas erat: cuius rei conſuętudinem pluſculis in

Serici Burgũd. uentres

Fabri, ac agricolæ.

Dicendi magiſtratus poteſtas penes agricolas erat.

locis hodie retinent in deſignandis Demagogis, qui ligonibus, ſarculis, roncinis, ac omni inſtrumento ruſtico armati, magnis plerunque contentionibus cogunt comitia, magiſtratum'que, penes quem ciuilium ſit rerũ poteſtas, iubent: interim primæ notæ uiris nullo numero habitis, neglectisq;. Adeò ex re ruſtica omnia pendent: quam maiores noſtros feciſſe plurimi ex his licet æſtimare, quòd in tantam excolendæ uitis peritiam euaſerunt, ut nuſquam uinum naſcatur generoſius, ſiue Heduos, ſiue Sequanos ſpectes: quod & ſuis temporibus contigiſſe ſcribit Plinius, ad hunc modum. Iam inuenta uitis per ſe in uino picem reſipiens, Viennenſem agrum nobilitans, Aruerno, Sequanoq;, & Heluetico generibus non pridem illuſtrata. Licet autem agriculturę eſſent addictiſsimi, militari tamen negocio pro neceſsitate, quando ita res nata ferebat, accingebãtur. Strenuos etenim tyrones ex rure peti ſolitos ſcribit Fla. Vegetius. Libertatis etiam imprimis ſtudioſos fuiſſe indicat Paulus Iureconſ. lib. Pandect. xij. tit. de cenſibus. Vbi Burgundiones ait iuris Italici fuiſſe. Quod ad formam attinet, fuiſſe flauis, ac rutilãtibus oculis, tetroq; aſpectu tradunt. Pro armatura uerò crudis ferarum corijs, Barbarico ritu utebantur in prælijs cõferendis. Initiò ſagittarum imbrem toxico tinctum in hoſtem effundebãt: equites ut plurimum erant, quorum equos bellicis rebus, ruſticanisq; operibus faciẽdis peraptos Vegetius in re ueterinaria aſſerit, ob alimoniã non ita operoſam, & iniuriarũ tolerãtiam.

*Demagogi uulgò maiores.*

*Vinum generoſum apud Heduos, Sequanosq;.*

*Burgund. Iuris Italici.*

*Paulus iureconſultus.*

*Equi Burgũdionici.*

Signa militaria his uaria fuiſſe obſeruauimus. Sidonius enim anguem multis ſpiris ſinuoſum, hiãtemq́ effuſius deſcribit: quẽ geſtaſſe in militari parma depictũ Burgũdiones Vãdalos dicit, fortè nõ abſimilẽ illi, quo Inſubrię Principes pro inſigni, auitoq́ ſtemmate in bellis utunt: quẽ fortaſſe à Burgũd. accepiſſe credibile eſt: licet in ea re fidem aſtringere uanum nimis, ineptumq́ ſit. Carmen Sidonij eſt huiuſmodi: *Signa militaria.* *Anguis Sinuoſus.*

*—Iam textilis anguis*
*Diſcurrit per utramq́ aciem, cui guttur adactis*
*Turgeſcit zephiris: patulo mentitur hiatu*
*Iratam pictura famem, pannoq́ furorem*
*Aura facit, quoties craſſatur uertile tergum,*
*Flatilis & nimium iam non capit aluus inane.*

Colligit Methodius martyr Elurum militare Burgundionibus ſignum fuiſſe, quemadmodum Cymbris Taurum, Francis Leonem: ſed prius quàm in Gallia figerẽt ſedes, Gepidis Nauim. Incerto etiamnum ſcriptore circunfertur, Carolum illum cognomento magnum, Sanſonem Burgundiæ regem tribus aureis trabibus, ſiue (ut uulgò uocant) coſtis decoraſſe in parma cerulea: quibus hactenus honeſtati ſunt poſteri. Eius generis clypeum uetuſtiſsimũ nuper uidimus in Laureolo oppido Allobrogũ: quale poni ſolet in urbibus ditionis indicium. Si quis autẽ calumnietur Burgũdiones uagos, irrequietosq́ ſemper nouis rebus ſtuduiſſe, ſciat uelim neminem mortalium è terra natum, ut ſtirpes radicibus actis terra *Elurus Burgũd. Taurus Cymbr. Leo Franc. Nauis Gepid.* *Trabes aureæ.*

 teneri,

teneri, ut ſolum uertere nequeat. Fortuna patriam uirtute unicuiq; dedit. Indigenæ creduntur, quorum origines ob uetuſtatem ignorantur. Cæterùm nunquàm magis libera, florens'ue Gallia fuit, quàm incolis Burgundionibus, quorum uirtute tuta, incolumisq; permanſit diu. Hunnos(cum Aëtio)ac Barbaros, qui eam tentarunt armis, repulere, non uirtutem muris, ſed muros uirtute defendentes: et cùm ſępius, quàm quiſquam ſuſpicetur, cum hoſte dimicauerint, conſtat tamen nullius in Gallia gentis prælia minus cruenta fuiſſe, nec tardius enſes ſtrictos, aut celerius reconditos. Victi facilè arma abiecerũt, uictores clementer uſi ſunt uictoria: qua modeſtia, ac morũ commoditate factum eſt, ut à Cæſaribus, Cæſaris ſocij appellarentur, à Carolo magno facto initio.

*Cæſarum ſocij.*

## Burgundionum Religio.

NVlla gens, quà fines cumq; patent Germanici, Gallici'ue orbis, celerius Chriſtum agnouit, impiamq; idolorum perſuaſionem abiurauit: quod ad hunc modum ſucceſsiſſe prædicant. Cùm adhuc in Germania agerent Burgundiones, ab Hunnis'que clade aliqua inſigni annis propè ſingulis infeſtarentur, ad eas'q; anguſtias uentum eſſet, ut nihil propius factum ſit, quàm ut illorum nomen tolleretur, aiunt hos poſt tentata quaqua uerſum præſidia, Chriſtianos Epiſcopos, uirosq; ſanctiſsimos in conſilium adhibuiſſe, ut, quid

quid nutante rerum ſumma agēdum eſſet, diſcerent. Illi autem infundendi Chriſti occaſionem nacti, diuinitus, quod in tenebris muſsitabant (nec idipſum impune) cœpere magna confidentia inter noſtros palàm profiteri, Chriſtum calamitatē, tempeſtatemq́ rerum commutaturum in melius, ſi impiæ ſuperſtitionis uela uerterent. Illi uerò ſimplices, & creduli, Chriſtumq́ populariter profeſsi ad ſacrum illud Auguſtale accedunt, diuinoq́ Chriſmate delibuti pronis ceruicibus undam baptiſmatis excipiunt: deinde noua religione inclyti, ſpiritusq́ attollentes, regem Subtarum Attilæ regis patruum, irruentes magno fundunt prælio, ad internecionemq́ delent. Nunquā Burgundionibus felicior dies illuxit, nunquam Burgundionica res uiſa auguſtior. Subtarus rex ex prælio receptus, confoſſusq́ inter ſuorum manus, paulò pòſt expirauit. Qui prelio ſuperfuere, terram, unde profecti erant, aduerſæ ſibi fortunæ conſcij repetunt; noſtris uerò dexterius omnia obtigere: quibus foris prius bella, domi ſeditiones fuerant, rebus tādem afflictis pax reddita, omnia ſoluta metu, laxior'que annona redijt. Ea uictoria noſtris obtigit anno ſalutis reddite quadringenteſimo primo, imperante Theodoſio Auguſto, Bonifacio Pontifice huius appellationis primo circa D. Hieronymi tempora. Nec ſine prodigio factum id Oroſius meminit, ut feroci iuueni Clodouæo Burgūdionica uirguncula Clothildis Chriſtum inſinuaret, notum'q́ faceret, quod nunquā Remigius ter alioqui ſacrorum Antiſtes maximus,

*Victus Subtarus.*

401.

*Remigius.*

neque Principius, neque Solemnis Carnotenſium, neque Maximinus Aureliorum Epiſcopi effectum reddere ſacris concionibus potuere. Sed nec ſanctiſſimi cœnobiarchæ Seuerinus, Lætus, Auitus, Carilephus, Pammerus, Gallus, aliiq́; qui id ætatis pietate, doctrinaq́; enituerunt. Et tamen Ethnicus rex uirginis Clothildis, imò potius numinis opera (quo deiiciuntur elatæ ceruices, humilesq́; ac demiſſæ ſubuehuntur) ſpiritus uſq; eò poſuit, ut ad mirificum lauachrum cōpoſitus, operante ſacris Remigio audierit:

*—Mitis depone Colla Sycamber.*

Clothildis ſanctitatem in cœlum tollunt Francorum annales: eam'q; in diuorum numerum referunt. Huius inſignia opera ſunt in ſuburbio Turonum templum Petri apoſtoli, pro foribus Baſilicæ Martinianæ: in ora uerò Sequanæ cœnobium uiſendum loco, qui Andelaus dicitur, nō procul Rothomago: opinor nunc dici ad Gemellos. Eiuſdem eſt in ſuburbio Landum caſtri Baſilica Petri apoſtolorū principis, præfectis rei diuinæ ſacerdotibus. Eiuſdem apoſtoli ſacrum delubrum Remis, quod ceſsit poſtmodum Remigio, id maximis ditauit prouentibus, in gratiam Clodouæi coniugis, qui eo loci Chriſto nomen dederat. Viſitur etiamnum Lutetiæ ad Genouephes tumulus Principis huius ſanctiſsimi: cuius ſacros cineres pia poſteritas in aram maximam extulit. Cuius conſobrinus fuit D. Sigiſmundus Burgundiæ Rex Gundebaldi filius, quem Clodomirus ſacra amplexantem ex æde Mauricij ui abſtraxit, abdu

*Andelaus.* *Ad Gemellos.* *Landum caſtrum.* *D. Remigij templum.* *D. Genouephæ ædes.*

abductum'que cum uxore Genabum in altiſsimum puteum præcipitem dedit, fruſtra deprecante Auito uiro ſanctiſs. Eam cædem ſecuta ſunt prodigia. A pontifice maximo in diuorum numerum relatus eſt. Hic Mauricio ædem ſacram Viēnæ, & apud Octodoros poſuit. In quo ſacri cineres uiſuntur. Huc pertinet, quod quidam ſcribunt, Trophimum Burgundiæ regem baſilicam inſignem Auenione excitaſſe: urbis ditionem, adiacentisq́ agri dominatum in ius, poteſtatem'que Romani pontificis tranſtuliſſe. Stephanus quoque rex, regni finibus excedere coēgit, quotquot id ætatis Chriſtum non agnoſcebant, lege lata, et propoſito refractarijs ſupplicio. Quod utinā ſibi imitandum proponerent, qui Iudaicæ ſuperſtitionis, impijſsimos, peruicaciſsimosq́ profeſſores in quæſtum pudendum admittunt, non admodum de Deo ſolliciti. Id ſecuti ſunt reges Francorum Chriſtianiſsimi, qui Galliam monſtris huiuſmodi repurgarunt, perſpectum habentes ex alienis religionibus (utinam non etiam ex regionibus) candidiſsimos Gallorum mores peſsimè infici. Conſtruxit hic ſuperbiſsimi operis cœnobium uictori ſacri Thebæi exercitus legionario in ſuburbio, portuq́ Maſſilienſi: quod ipſi quoque nuper uidimus: in quod D. Apoſtoli Andreæ crucem (quo ſymbolo in bellicis expeditionibus uſi ſunt Burgundiones) intulit: quam in ſacrario ſanctè haberi tradunt. Hunc Stephanum multorum omnino templorum architectum multùm ſtudioſum fuiſſe commemorant, quæ

*Templum Viennenſe.*

*In hac re nō admodum fidem noſtrā aſtringimus*

*Iudæos expulit.*

*Pudendus quæſtus ex Iudæis.*

*Stephani regis opus.*

*Crux D. Andreæ Maſſiliæ.*

prothomartyr multis locis dicauit, apud Senones templum auguſtiſsimum, Lugduni, Mediomatribus, Maticone, Cabilone, Antiſſiodori, Veſontij: quæ à Carolo cognomento magno inſtaurata, ac Vincentio dicata. Chilpericum regem præteriſſe ſilentio fuerit nepharium, qui in præcipitijs Iuræ mōtis, auijsq́ rupibus, toto orbe celeberrimum cœnobium inchoauit, abſoluitq́ in honorem Ouantij, ac Lupicini Euangelij præconum, quos fama eſt illos fatorum commentarios (Ioānis Apocalypſim) Ioannis manu deſcriptum archetypum Sequanis inuexiſſe, qui uiſentibus in uiculo oſtētatur religionis ergò non ita procul ab eo famigerato, quod dixi, cœnobio. Accedit, quod Bruno Chilperici filius Balmæ, Gygniaciq́ (id monaſterijs ampliſsimis in Sequanis nomen eſt) maximis impēdijs fundamenta iecit, quæ poſteri principes manum extremam imponentes, redditibus, donarijsq́ mirum in modum auxere: ab hoc Colonia Cluniaci deriuata eſt, cui in omnia eius inſtituti cœnobia, eò plus eſt iuris, quò ſunt opibus inferiora. Hæc primùm ſumpto à Gulielmo Pio Aquitanorum Duce initio, qui in agro Matiſcenſi tantum ſtructuræ luxum cōfecit, ſic promouit, ut mirum ſit, unde tātum opum congeſtum ſit. Hæc moles tanta ſe maieſtate in nubes attollit, ut ſtupore defixus eminus ſpectans aliquando ſteterim: ea eſt turrium frequentia, ea fornicatæ teſtudinis ſublimitas. Quid de lapidum ſtructura mirabili? quid de marmoreis columnis? quid de ara maxima dicam? quæ

*D. Claudij cœnobium, quis condiderit.*

*Balma.*

*Gygniacum*

*Cluniacum.*

*Cluniacenſium opes.*

quæ in porphyreticam tabulam longitudinis inuſitatæ exporrigitur: cui imminent ſigna illa argentea, quæ ab ipſo altaris uerticæ ad imos pedes pertinent. Si pergam recenſere molem operis, precioſa donaria, tot inaurata laquearia, tot gemmas, tot ſigna, tot tabulas, tot ſtrata aulea, cortinas, periſtromata, ſerico, auroq́ intexta, pallas opere plumario fulgentes, candelabra, calices, auro, et gemmis mirificè cęlatos, quis unquam futurus finis? Omitto Diuorum conditoria, quæ in pœnitiſsimis templi ſacrarijs ſunt recōdita: quæ ſi promantur, tanta auri pompa, tanta lux emicat undique, ut obtutum uel perſpicaciſsimum præſtringat. Hîc etiam Ioannes Burgundionum rex, qui pridem ſummum illud templum Lugduni curauit extruēdum, de quo ſuo fuſius loco dicturi ſumus: cæteri item Reges, Principesq́ aliquid ſubinde ſacri operis, uel monumenti reliquere, quo celeſtis numinis obſeruantiam poſteris teſtatam uelut obſignatis, quantum tum licebat, tabulis uoluerunt, Chilpericus Luxoniū, Diocus Vezelaium. Vtrūq; tamen conſtat magnificis ædificijs Giraldi Rubellionis cura nitori priſtino redditum, inſtauratumq́, ac Sacros cineres Diuæ Magdalenes translatos ex ſolitudine illa maris Liguſtici: in cuius littoribus narratur cum graui corpuſculi maceratione uictitaſſe, animamq́ illam ſanctiſſ. efflaſſe. Giraldum autem ferunt decem, & ſeptem monachorum conuenticula uix æſtimandis impendijs diuino cultui deſtinaſſe, opimisq́ prouentibus ditaſſe, qui et arcem pulcherrimam

*Ioannes rex Burgun. Lugdu. tēplum maximum erexit.*

*Luxonium. Vezelaium.*

rimam Grymontiam à fundamentis eductam ad coronidem perduxit, in quam aduerſis rebus confugit.
*Guntranni ſomnium.* Guntrannum penè regem omiſeram, cuius dignum memoratu ſomnium referunt, plenum'que prodigij. Eum, dum uenationibus (quo oblectamento impenſius Galliarum reges capiuntur) dat operam curſu, ac anni æſtu flagrãtiſsimo, feſſum ad fontem muſco, atque leui murmure labentis aquæ ſuauiſsimum perueniſſe, illicóque in ſoporem reſolutum diutulè in aulici ephebi gremio obdormiſſe: dum'que altius ſomno premeretur, ex eius ore animal quoddam muſtellæ ſimile exijſſe: cui riuulum traiecturo eques pontis inſtar ſtrictum gladium ſupponit: id uerò traijcit, ac in cauum quoddam ſe proripit: ex quo rurſus breui emergens eadem, qua tranſmiſerat uia, inter fauces dormientis magna omnium admiratione conditur: deinde experrectus Guntrannus ſuauiſsimum narrat ſomnium ſe per flumen altiſsimum ferreo ponte ſtratum tranſmittere uiſum fuiſſe, ac ſpecus ingreſſum: in quo uim immenſam auri, argenti'que uiderit. Venatoribus interim, quid de animalculo accidiſſet, recitantibus, Rex ſecum reputans eadem propè ſibi dormienti obuerſata fuiſſe, ſpeluncam illam iuſsit altius effodi, in qua meatus ſubterraneus erat differtus auro: quod rex ſacris uſibus deſtinauit, præſertim
*Marcelli cœnobium.* Cabilone conſtruendo Marcelli martyris delubro, trans Ararim: in quo Diui Regis Caluariam argenteo loculo incluſam uidere in ædis ſacrario memini: auri reliquum exornandis Diuorum locis com-
pluribus

pluribus altaribus uouit,erogauit'que. Regis Apotheoſim feſtis Sacris proſequuntur Cabilonenſes, quorum ciuitatem ingenti ſumptu,operecꝗ exornauit. Cæterũ Radolphus rex apud Coloniam Agrippinam, Moguntium, Argentoratum, Treuiros ecclesias ditauit: Regiam pietatem teſtante luxu,impẽdijsꝗ. Cur autem Gallicis,quàm Germanicis,minus fauerit, hanc cauſam fuiſſe aſſerunt, cum odio uxoris Franciccæ,quæ ueneficijs ipſum,ne liberos gigneret,implicuerat,emaſculaueratꝗ,ſe totum,ditionemꝗ Conrado Cæſari tradidiſſe, & eccleſias Rheni,quæ Francis repagulum eſſent,ne in Germaniam irrũperent,locupletaſſe. Inde illæ ciſrhenanæ Germanis opes,inde Treuerẽſis,quæ tota eſt in Galliæ finibus opulẽtia,ſunt: & alia quãplurima,quæ conſultò omittimus,monimẽta pietatis paſsim in Burgundia occurrẽtia:quæ utinã à fucis illis aliquãdo repurgata uideamus: ꝓdigioſum em̃, quàm à priſco illo uiuẽdi ritu alieni ſint. Hic uerò mihi finge reuiuiſcere tot reges,tot principes,atq; adeò duces,qui ſuarũ ditionũ opes,prędia,redditus,uectigalia,iura,arces (et quid non?) alẽdis uiris pientiſsimis,& uerè monachis effuderũt. Quid ſi uiderint huius farinę homĩes,qui ocio cõtabeſcere,opimis redditibus,ꝓuẽtibusꝗ ſaginari, diffluere delitijs,cũ numeroſo famulitio obequitare, inter mulierculas nugis tẽpus trahere,uenatiõibus,et aucupio operã perdere,ſacras odiſſe literas, egenos, tenuesꝗ arcere,eorũ alimoniã inter ſpurciſsimas ganeas prodigere,uerã,germanãꝗ pietatẽ exiſtimant,

*Radolphus rex Germanicus eccleſias ditauit.*

*Monachorum uita uitijs plena.*

nonne huiuſmodi fucos tam pinguibus aluearijs ſub mouendos indicabunt? Ego uerò talibus Serapionẽ quendam imprecor, qui circiter decem milia monachorum ſic in ordinem cogebat, educabat'que, ut ex proprijs ſudoribus uictum pararent, atque alijs ſubminiſtrarẽt egentibus. Nec uerò quis hîc me bonos, pios'que lacerare calumnietur, ſed eos tantùm, qui diuerſiſsimi à ſacra monaſtica profeſsione impudentiam ſuam miſerè traducunt, quos iam pueri uulgò luto inceſſunt. Ad uos igitur ſermonem cõuerto pij uiri, ac uerè religioſi, qui à cœnobiorum ueſtrorum ſeptis caput non profertis, aut tranſuerſum unguem diſceditis: apud quos priſcæ ſanctitatis ſpirant reliquiæ. Agite uerò: huiuſmodi onagros monaſticum nomen infamantes à ueſtris contubernijs abijcite: cogite ad ſacrarum rerum ſtudium, ad diuinam uerbi Dei negocitationẽ: ſancta quippe ruſticitas (inquit Hieronymus) quantum uitæ merito eccleſiam Dei ædificat, tantum nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat.

*Serapion.*

## *Burgundionum res geſtæ memorabiles.*

*Victoria de Gothis.*

MEmorabilis imprimis eſt Burgundionũ de Subtharo rege uictoria: quem ad primum tumultum conto transfodiunt, cuius equitatus, peditatus'que, qui ad eã diem inuictus uidebatur, tanta fuga, & cæde effuſus eſt, ut noſtri prius cædendo feſsi, quàm Hunni fugiendo cladis finem fecerint. Regis ſiquidem caſus trepidationem

tionem auxerat uſque eò,ut illi obliti uulnerum paſ-
ſim,ut uiliſsimum pecus,mactarentur. Cæterùm no-
ſtri,qui prius falſorum Deorũ cultores fuerant,Chri
ſtianæ militiæ nomina edidere,qui ante conflictum
cathecumini facti fuerant. Non abſimilis de Clodo-
miri conſecuta eſt regis cæde,& ſuorum cruore fuſo
propemodum pari. Quam Agathias Græcus fuſius
proſequitur, cuius uerba ob prodigam dilatationẽ
omiſimus. Tantùm addam, Sigiſmundi & regno,
& forma,& ſanctitate uenerandi indigniſsimã mor
tem,regiorumq́ liberorum,non diu lætam,impuni-
tam'ue Clodomiro fuiſſe: qui cum Burgundionibus
acie confligens,dum è curru incautius dimicat,haſta
confoſſus,in curru reſupinus,diu ab indomitis,et fe-
rocibus equis per loca prærupta raptat̃. Addit Aga-
thias capillitium,regiamq́ Cæſariem,quam ea gens
regij ſanguinis inſigne promittebat,ſentibus,& du-
metis hæſiſſe,ac laceram faciem reliquiſſe. Exercitus
adhuc in hoſtico excurrens,necdum in tutum ſubre-
ptus à Burgundionibus oppreſſus eſt. Talis fuit Clo
domiri exitus, inſectãtibus ſcelerum pœnis,exituq́
(ut in cæde ſolet)funeſtiſsimo Burgundionum. Ita-
liæ etiam arma illata,Gundebaldum'que regem no-
men ex ea magnum reportaſſe uetuſtatis ſcriptores
aſſerunt. Is regnum adeptus per Domuſulæ ſaltum,
fineſq́ Nouarienſis agri in Italiam magnis uiribus
tranſcendit: cuius impetum Auguſti Græci duces,
qui Italiæ præerant, præſtanter excepere, ſuſtinue-
re'q́, qui illum excurſionibus, prælijs'q́ prohibere

*Victus Clodomirus.*

*Agathias Græcus.*

*Cæſaries Regij ſanguinis inſigne.*

*Burgũd. in Italiã arma tulerunt.*

conabantur. Ille uerò, quæcunq; oppida in Tauricis, atque Inſubribus expugnabat, mœnibus exuebat, arces, munitaq; loca ſubruebat: nullum non eximij militis, clariſsimi'q; ducis officium præſtitit. His rebus cum delectiſsimis militibus ſic profecit, ut Alpinam Galliam, Aſtenſes, Taurinos, Inſubresq; ditioni ſuæ adiecerit. Haud uerò multis interiectis annis, Theodoricus, ac Theodebertus Burgundionum reges, Childeberti Regis filij aduerſus Clotharium arma ſumpſere, magnum in agro Senonum impetum inſtar torrentis facientes: gradu mouent, fundunt, fugantq;: utrinq; edita ſtrages. Clotharius tamen haud dubiam hoſtium uictoriam cernens Meledunum ſe recipit. Plures ex Clotharianis, factis, ſanguineq; clariſsimi deſiderati. Victum magna clade Clotharium leges illi impoſitæ teſtantur. Hanc uictoriã fraterna excepere bella, quæ à Brunechilde tragica, ut tradũt, muliere ſumpſere initium. Ea iactare palàm auſa eſt Theodebertum adulterio conceptum, ob idq; paterno regno indignum: quibus permotus uerbis Burgundio ætate florens, ocij q; diuturni impatiens cœpit fratri moliri excidium: quod ut facilius conficeret, miſsis ad Clotharium oratoribus armorum ſocietatem inijt: res cruentiſsimis prælijs tranſacta eſt. Theodebertum in fugam neceſsitas compulit: à qua retractus, uita'que donatus Cabilone in uinculis habitus eſt. Regis odium in Brunechildem belli facem uertiſſe ferunt, ac, quo digna erat, ſupplicio multatam. Alij confictam de Brunechilde tragœdiam riſu eleuant,

*Brunechildis.*

eleuant. Vtcunque res habeat, ea à Diuo Gregorio eius temporis æquali Pontifice Maximo miris ue-hitur laudibus, quòd nepotes Reges captiuos ſua opera, ſumptu'que redemptos domum remiſerit, quod'que filium ad uerum Chriſti cultum ſuccen-deret, exſtimularet'que: cuius uerba apponere ui-ſum eſt, ut palam ſit piam Reginam nec mendacij, nec proditionis, nec ueneficij appellatam. Gregorij uerba ſunt. Excellentiæ ueſtræ prædicandam, ac Deo placitam bonitatem & regni gubernacula te-ſtantur, & educatio filij manifeſtat: cui non ſolùm incolumem rerum temporalium gloriam conſerua-ſtis prouida ſolicitudine: uerumetiam æternæ ui-tæ præmia prouidiſtis, dum mentem ipſius in radi-cem ueræ fidei materna (ut decuit) & laudabili in-ſtitutione, plantaſtis: unde non immeritò contigit, ut cuncta gentium regna præcelleret. Quippe qui earundem gentium creatorem & purè colit, & ue-raciter confitetur: ſed ut laudabilius in eo fides cum operibus eniteſcat, adhortationis eum uerba ſuccen-dant. Idem hanc alibi laudat, quòd ſacerdotij rebus faueret. Neque uerò id immeritò. Laude enim non uulgari dignum eſt, religionem, religionis'que mi-niſtros in honore habere, & bonis aliquibus auge-re. Illius autem ſunt hæc uerba. Quanto omnipo-tentis Dei timore excellentiæ ueſtræ mens ſolidi-tate firmata ſit, inter alia bona, quæ agitis, etiam in ſacerdotum eius laudabiliter dilectione monſtratis, & magna nobis ſit de Chriſtianitate ueſtra lætitia,

*De Brunechilde præter aliorum opinionem.*

*D. Gregorij epiſtolæ multæ ad Brunechildem.*

*Brunechildis in Sacerdotium pietas.*

quoniam quos uenerantes, ut famulos re uera Chriſti diligitis, augeri honoribus ſtudetis. Eidem gratias agit Gregorius, quòd Auguſtinum iter Gallia in Britanniam habentem hoſpitio exceptum, ac comiter appellatum, cultum'que dimiſiſſet. Gratias (inquit) omnipotenti Deo referimus, qui inter ſua pietatis dona, quæ excellentiæ ueſtræ largitus eſt, ita uos amore Chriſtianæ religionis impleuit, ut, quicquid ad animarum lucrum, quicquid ad propagationem fidei pertinere cognoſcitis, deuota mente, & pio operari ſtudio non ceſſetis: quanto autem fauore, quanta'que opitulatione excellentia ueſtra Reuerendiſsimum fratrem, & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum proficiſcentem ad Anglorum gentem adiuuerit, nec ante ſilentio fama cõticuit, & poſteà quidam ab eo ad nos monachorum redeuntes ſubtiliter retulerunt. Et quidem hæc de Chriſtianitate ueſtra mirentur alij, quibus adhuc beneficia ueſtra minus ſunt cognita. Nam nobis, quibus experimentis iam nota ſunt, non mirandum eſt, ſed gaudendum. Hæc adijcere libuit, ut piam, principem'que fœminam à recentium ſcriptorum iniuria, poſteritatis'que contemptu uindicarem: quam atrocibus, uirulentis'que ſcriptis uſque adeò lacerant quidam, ut nulla Medea, nulla Tanaquil crudelior, aut immanior fuiſſe uideatur. Cæterùm ſub idem tempus, qui fuit annus ſalutis noſtræ quingenteſimus quinquageſimus ſextus, cùm Burgundiones huius Clotharij regnum inuaſiſſent, is'que ad Iſaram obuiam cum delectis equitibus

*Auguſtinus ad Anglos miſſus.*

*Bellum aduerſus Clotharium.*

fuiſſet

fuiſſet progreſſus, illi'q; uiribus diffidentes ueniam ſibi per fecialem dari poſtulaſſent à Clothario, magno ore repulſi ſunt. Ad eas uerò rerum anguſtias redacti ſunt, ut redintegratis uiribus, efferatioribus'q; animis extrema omnia experiri cogerentur: ac ut fit, neque præſidij ſatis, neque miſericordiæ, neq; fugæ locum ſperãtes in hoſtem more ferarum irruunt, hoſtem'q; tanta clade afficiunt, ut locus hoſtium clade nobilitatus ſit. Qua etiam ætate regentibus pro libidine Burgundionibus, ac Gothis Ciſalpinam Galliam, Senatus, Populus'q; Mediolanenſis, ut erat ſeruitutis impatiens, auſpicijs Decij Archiepiſcopi Gothos, qui præſidij cauſa relicti fuerant, obtruncat: qui audita ſuorum clade, & urbis defectione, ad Burgundiones confugiunt: à quibus ciuitas diu obſeſſa, ac commeatus penuria domita deditionem cùm feciſſet, gladio uno die triginta ciuium millia ab immanibus Gothis cæſa fuiſſe feruntur: mulieres ætate florentes Burgundionibus in prædam datæ (quorum uiribus ceſſerat ciuitas) ac in Galliam abductæ: qua uictoria Burgundionum ſpectata eſt nobilitas, Gothorum'q; immanis barbaries, qui tãtum ciuilis ſanguinis hauſerunt, quantum in ea ciuitate nunquàm effuſum meminimus. Noſtri nullo cruore fuſo, omni'q; præda temperantes ciuium uxores, ac uiro maturas puellas è Barbarorum faucibus eripuere. Eadẽ uerò procella afflictæ feruntur Verſellæ, Nouaria, Bergomum, Mediolanẽſium autoritatem, ac exemplum ſecutæ. Clariſsimum uerò ſibi, genti'q; nomen

*Mediolanenſes matronæ in prædam Burgundiæ datæ.*

tot poſt annis peperit Otho dux ſacro bello in Syria defunctus, capta in Saladini oculis Ptolomaide rerum orientalium arce, expugnata Tyro, terra, marique maximè opportuna. Cuius geſtarum rerum ſumma fuit euerſum Turcarum imperium excepta Hieroſolymorum urbe: de cuius excidio conſultus Abba Ioachimus uir fatidicus reſpondit diram belluam nondum fata ſua appetere. Cæterùm, quum Otho cum Saladino collatis ſignis dimicaſſet, tot millia hoſtiũ religionis fudit, quot ſecũdum magni Gothofredi uictorias nullus cecîdit, quot'q; illa, patrumq; memoria uno prælio cæſa non feruntur: ſub cuius belli finem Saladinus rebus ſuis diffidens fato abſũptus eſt. In cuius, ut iuſſerat, funere, qui ſignifer ei in prælijs eſſe conſueuerat, prætulit lancea fixam interiorem illius tunicam ſublimem, clamitans illud unum ex domitore orientis reſtare, magno rerũ humanarum ludibrio, eorumq;, quibus omnium rerum impotens animus, ac libido nihil nõ perſuadet, nihil penſi habẽtibus, ſublimes ferociũ criſtas leui caſu, fatoq; domari. Sed quotuſquiſque eſt, qui pro opibus ſpiritus nõ gerat, animosq; in exitiũ cæcos? An uerò alicui ignotũ, Philippi cognomẽto Audacis nomẽ? non rixa fraterna, menſęq; iurgio partũ, ſed defenſo, quoad per fortunã licuit, patre: quẽ cùm reliqui filij inter confertos hoſtes dimicantem deſeruiſſent, ſeq; prælio ſubſtraxiſſent, unus inuicto animo, fulminea dextra, regẽ patrem (ut tum ferebat ętas) texit, uictoriamq; nõ incruentã hoſti Anglo reliquit: cõgreſſus cum

*Otho Dux in Syria ad Sacrum bellum.*

*Oraculum Vatis.*

*Euerſum Turcæ imperium.*

*Funus Saladini memorabile.*

*Philippus audax cur dictus.*

cum hoſtibus nunq̃ niſi ſuperior diſceſsit, præterq̃ prælio infeliciſsimo, quod in Pictonibus profligatũ eſt: quo qui uicit, uicto propius fuit. Huius prolẽ formidoloſam, ac propè toti Europæ exitio, non eſt, quod pluribus inculcem, tum quòd ad turbulentam tragœdiæ mentionem inhorreſcam, tum quòd ingeniorũ monimentis eleganter inſculpta, excultáq; circunferatur. Hæc uerò in hãc ſententiã hactenus ſufficiãt, quæ ut in mentẽ ueniebãt, nullo neq; ordine, aut tẽpore ſubintuli, nec om̃ia: operoſum quippe nimis fuerat: ſed nec præſentis inſtituti, ut toties admonui.

*Pugna Pictauenſis.*

## *Illuſtres Burgundionum familiæ.*

Annoſę ſolent arbores fructus ſuauiores, ut plurimum edere: ſiquidem ætas ſenile quiddã inuehit, quod in arbuſculis uelut adhuc rudioribus acidũ, atq; acerbũ eſſe ſolet. Sic in familijs contigit, quæ quò diutius in precio fuerũt, eò uiros generoſiores edunt, quos uulgus claros, ac nobiles uocat, quòd ſint multis maiorum ſtemmatibus inſignes, illorum'q; rebus geſtis præfulgidi. Quemadmodum igitur Solis radij uicina quæq; ſplendidiori luce permeant, & flumina adiacentes ripis glebas reddunt uligine pinguiores: ſic parentũ in natos uirtus diffundit, ac fortes creantur fortibus: quales ſunt, quorum nomina hîc, familiæ'q; celebrantur. Itaque in hoc genere primas tenet antiquiſsima regum Burgũdionum familia: quã initiò à

Gothis ſumpſiſſe originem traditum eſt poſteris. Ea
*Familia regũ Burgun. à Gothis.* extinctis quatuor Gundebadi filijs, inter homines
eſſe deſijt: quo tempore ad Frãcos reges iure materno Burgundia deuoluitur, quorum ſoboles ad hanc
uſque pertinet. Quis igitur niſi lippus non cernit
(ab ipſa Clothilde) illic unquã niſi Francos regnaſſe
neminem? aut Francicæ ſtirpis, ac partium Principes? Vnde miror externorum uires in hanc arcem
toties inuaſiſſe, quos natura tot maris fluctibus, ſcopulisq́ue, tam editis Alpium iugis, à noſtris ceruicibus arcuit. Sed quemadmodum quorundam inexhauſta eſt cupiditas, ita nullus unquam bellorum finis. Secundum principes habita eſt clariſsima Cabi-
*Cabiloneſes* lonenſium familia, cuius parens Gulielmus ille ma-
*Cornu uenatorium inſigne Cabilo.* gnus habetur, cui à uenatorio cornu inſigne cognomen erat. Hic cùm prodigioſæ hominem proceritatis ad Rhodanum occidiſſet, Auraſiorum principa-
*Auraſiæ principatus* tum poſteris quæſiuit. Eius gygantis os illud immane fuiſſe fertur, quod ín Lupara arce uiſitur. Quid
ea gens ſequentibus annis geſſerit, non eſt præſentis
*Philibertus Cabilon.* inſtituti commemorare: ne quid addam de Philiberto Cabilonenſi, qui noſtra ætate Roma expugnata,
capto Pontifice, ac per uniuerſam Italiam magno
Parto nomine Regem ſe apud Parthenopen appellari iuſsit, ac Hetruriã Cæſari ſubiecit. Cuius copias
ab exceſſu Caroli Borbonij in Hetruſcos duxit, resq́ue
maiores geſsit, quàm pro ætate: ſiquidem adhuc penè puer ſublatus eſt, elatusq́ue Lædone ad Franciſci,
ſepulchro maiorum. Ea ædes miſerabili paulò pôſt

incendio

incendio conflagrauit. De illo elegans, perinde ac feſtiuum circunfertur epigramma.

*Quis iacet hoc tumulo? princeps Aurengius, ortum*
*Gallia cui tribuit, terraq; Thuſca necem.*
*Septimus huic Clemens, & quintus Carolus orbi*
*Martigenam Italico præpoſuere ducem.*
*Cuius honor mundi, cœlis eſt ſpiritus, oſſa*
*Reſtituit patriæ, uiſceraq; Italiæ.*
*At quid diuiduus geminis requieſcit in oris?*
*Terra capax tanti non erat una uiri.*

Ex ea gente is dicitur fuiſſe, qui à Dęmone de medio raptus eſt, ac equis pullis in cœlum ſubuectus, attonitis tam dira ſpecie popularibus. In familiæ huius poteſtate ſatis conſtat fuiſſe comitatus (ut nunc uocãt) Cabilonen. Matiſconen. Altiſsiodoren. Iouinien. Tornoduren. Ad huius amplitudinem iam olim acceſsit ea, cui à Rupeforti eſt cognomen, ex qua Ludouicus Rex Philippi primi regis Francorum filius uxorem duxit: quam repudiatam haud æquo ferens animo Vido pater, aduerſus regem euocato Theobaldo comite Trecaſsium conflixit, ad Gorneyam arcem: quam Ludouicus obſederat. Ex cuius poſteris fuit Petrus à Rupeforti, regnante Carolo huius nominis ſeptimo, Frãcorum equitum magiſter: qui præter alia rei militaris ſtratagemata, mirum aduerſus Anglos uirtutis edidit ſpecimen, recepta una nocte Dieppa (id nomen eſt urbis ampliſsimæ) ad

*Gulielmus comes Cabilon. à Dæmone raptus.*

*A Rupeforti.*

*Rex Ludo. Philippi fil. uxorẽ à Rupeforti accipit.*

*Petrus à Rupefor. aduerſus Anglos.*

oceanum Britannicum. Patrum quoque noſtrorum
*Guydo à Rupeforti.*
memoria uixit tanto genere digniſsimus Guydo à
Rupeforti, pace, & bello clariſsimus, qui propter togæ, et rerum bellicarum uſum factus eſt totius regni archigrammateus: cuius filius Diuionẽſis præfectus paternis inſiſtens ueſtigijs gloriam æquare poterat, niſi præmatura mors adhuc iuuenem è medio ſuſtuliſſet. Faxit Deus optimus maximus, ut huius generis ſplendor in his, qui adhuc ſuperſunt, uelut ex ſcintillis reuiuiſcat. Eiuſdem notæ ſunt, Nouocaſtrẽſes,
*Nouocaſtrũ Vergeium.*
Vergeyſen. Viẽnenſes, quos nobilitatis titulo poſte-
*A Vienna nobiles.*
ritas honoris ergò inſigniuit. Eius nominis uirtus cum aliàs ſæpe, tum maximè rege Carolo ſexto eni-
*Matthias Viennenſis Franci exercitus princeps.*
tuit: cuius principatu Matthias Viennenſis, in cuius humeros Frãci exercitus cura bona ex parte incubuerat, tãtam apud Roſeas aquas hoſtium Flandrorum ſtragem edidit, quãtam uix aliàs auditũ eſt: qui fuit
*Flãdrorum clades ad roſeas aquas.*
*1380.*
annus ſalutis trecẽteſimus octogeſimus ſupra mileſimum: quo tempore Talaſsiarchus (uocãt uulgò admiralem) factus eſt in Gallia Ioannes eiuſdem & fa-
*Ioan. Viennenſis.*
*Talaſsiarchus Frãciæ.*
miliæ, & cognominis. Hic primùm ſpectantes ad rebellionẽ Rothomagenſes in ordinẽ citra ſanguinem coëgit. Quid dicã de huius in Angliam irruptionẽ?
*Hic Angliam penè ſubegit.*
qua tantum uniuerſæ Britanniæ, ac Hiberniæ pauoris, ac trepidationis iniecit, ut ad primũ occurſum paterent caſtella, ciuitates, munitiores arces. Itaq; futurum erat, ut Britannia ſemel Carolus rex potiretur, ſi fuiſſet in Scoto fides, quæ eſſe debuit: at perditus luxus, ac zelotypia, qua ſuſpicax Scotus agitabatur,

omnem

omnem Britannicæ expeditionis apparatum ad fœdum deduxit exitum. Felicior aliquantò fuit huius in Aphricā aduerſus Pœnos nauigatio, quæ Borbonio duce ſuſcepta, ac feliciter uictis, fugatisq́; Mauris, & ad uectigaliū penſitationē coactis peracta eſt. Idem paulò poſt in Hungariā cum Chriſtiano exercitu profectus eſt: quo in bello cùm primariā laudem meruiſſet, tandē in hoſtium poteſtatē ueniens maximo prius cruciatu miſerabiliter pro Chriſti nomine excarnificatus eſt. Ab his nati ſunt Giraldus Viēnenſis, ac conchulati ordinis eques: cuius nepos Gulielmus Viennenſis ſummæ ſpei adoleſcens. Hic Caprini, ille Ruphæi Toparchus. Huius familiæ inſignia opera ſunt Miratorium Cœnobium in agro Cuyſellenſi, ſaltu denſiſsimo, atq; auia ſolitudine: deinde in ſuburbio Surregiano ſodalitium Auguſtinenſium. Supereſt Valdræorum familia et generis uetuſtate, rerumq́; geſtarū ſtrenuitate inter pręcipuas habēda: ex qua ſuperioribus annis Claudius ille Valdræus Dux impiger, ac miles ſtrenuus reliquarū obſtruxit luminibus: cuius res geſtas nec noſtri eſt ingenij, nec huiusce ſcribere. Ab hoc genus ducit illuſtris eques ſenatorius Adrianus Valdræus Barſalini, ac Corlaonis Toparchus, nuper omniū mœrore fato functus: qui Vallēſem latronem, ac prædonē famoſum fines Heduorū latrocinijs, ac incurſionibus infeſtantē coērcuit, nec prius deſtitit, quàm furioſum iuuenem compręhenſum (aliquot tamen arcibus ſolo æquatis) & publico iudicio damnatum ſecuri percuti uidit. Eius

*Ioan. Viennenſis in Aphricā fœlix expeditio.*

*Ioann. Vien. pro Chriſto cæſus in Hūgaria.*

*Girald. Viēnenſis.*

*Guliel. Viennenſis.*

*Rupheium.*

*Caprinum arces.*

*Vaudrē.*

*Claudius Valdræus.*

*Adrianus Valdræus.*

benignitati debere & fateor, & agnoſco me pluri-
mum. Huius ex ſorore nepotes ſunt florentiſsimi, ac
manu ſtrenuiſsimi iuuenes ab alba ſpina: qua in arce
me primùm initiatum literis memini. Ea Renaltum
*Alba ſpina.* ab Alba ſpina conditorem, nominiſq; parentẽ agno
ſcit, qui Carolo Magno Cæſare in pugna ad Ron-
cauallem occubuit. O miſerã illa antiquiſsima nomi-
*Albones.* na Albonum, quorum autor Albo fuit: cui Clotharij
regis principatu Burgundiæ totius præfectura man
data fuiſſe fertur. Hic Italiæ arma intulit. Iiſdem tem
*Dinandi.* poribus fuere Dinandi ſub Guntranno rege, ac Flac
*Flaccati.* cati ſub Clodouæo Dagoberti filio. Verùm duo po
ſteriora nomina aut prorſus ſunt antiquata, aut inter
obſcuros latent. Albonum uerò genus, ac nomen ad
hæc uſq; tempora plauſibile, heroicumq; permanet.
Quis enim Galliarum, Hiſpaniarũ, Italiæ angulus
eſt tam abſtruſus, cui non ſit notiſsimus heros ille
*Ioannes ab* à ſancto Andrea Ioannes ab Albone? qui præter-
*Albone.* quàm quòd Gallici exercitus frequenter Imperato-
rem egit, in ſummum etiam cocleatorũ principum
ordinem à Chriſtianiſsimo rege lectus eſt, ac hone-
ſtatus equitum cataphractorũ præfectura: ſiquidem
quod in Pyrenæo aduerſus Cantabros geſsit, nulla
delebit ſeculorum obliuio: cuius filius maior natu Ia-
*Iacobus ab* cobus gratioſiſsimus in aula iuuenis, armorumq; ex-
*Albone.* ercitio longè præſtantiſsimus: cui præter formam
regio adoleſcente dignam natura etiam ſenilẽ quan-
dam modeſtiam cum egregia animi fortitudine ef-
fusè præſtitit. Itaq; ijs uirtutibus factum eſt, ut ſere-
niſsimo

niſsimo Allobrogum, Britãnorumq́ principi Hen-
rico Delph. acceptiſsimus ſit. Sunt & aliæ familiæ
pleræque illuſtres, quales Charneïorum: ex qua Go- *Charneïorũ*
dofredus flammulæ ſignifer pugna Pictauenſi olim *familia.*
fuit regis Ioannis principatu. A Balma: ex qua cēle- *Flammulæ*
tur illuſtris Comes à monte. Deinde Caſtellionen- *ſignifer.* *Balma.*
ſium: ex qua diuus ille Bernardus Clareuallis Abbas *Caſtellionē-*
ſanctiſsimus, nec minus ingenij monimentis clariſsi- *ſes.*
mus: qui de ſua eruditione cœlitus infuſa dicere ſo- *D. Bernardus.*
let, quòd quercus, & fagos, linguæ (alioqui diſertæ) *Quercus, et*
formatores habuerit. Itaque mihi monſtri ſimile ui- *fagi D. Ber-*
detur, quòd iuuenis ſolitudinis, ac nemorum aman- *nardum do-*
tiſsimus uiros illis temporibus diſertiſsimos dicēdo *cuerunt.*
ſuperauerit, ne dicam æquauerit: quin mirabilius eſt
tantum eloquentiæ in barbaræ gentis hoc temporis
monacho potuiſſe eluceſcere. Habetis igitur Caſtel-
lionei, ac Saffrenſes, quo iure gloriari poſsitis, qui *Saffrenſes.*
tam futilum religionis ſolem è ueſtro corpore edide
ritis Reipublicæ Chriſtianæ: de quo dici ſolet, quod
olim de Neſtore cecinit Græcorum parens Home-
rus, melle dulciorem ab eius ore orationem fluere.
Vixit ille rege Ludouico Craſſo, cui filij Philippi in- *Quo tēpore*
teritum uir fatidicus aliquot retro menſibus prædi- *uixerit D. Bernardus.*
xerat. Fuit & familia Semurienſis ſanctitate conſpi- *Bernardi ua*
cua, quæ Hugonem ſanctiſsimum cœnobiarcham *ticinium.*
Cluniacenſem caput, atque exemplum futurum ge- *Semuriani.*
nuit. Sunt etiam non minus claræ, quàm ueteres: qua- *D. Hugo Abbas ex Se*
rum res geſtæ iniuria temporum exoleuerunt. Quæ *muriana fa-*
ſi quando ex obliuionis caligine eruere liberum erit, *milia.*

non grauabimur cum ſuis elogijs huc primo quôque tempore tranſferre. Harum aliquot nomina ſunt Damaſcenorum, Luſianorum, Cluniacorum, Digonenſium, Gyurienſium, Longouicorum, à Caſtro ueteri, A Calce, Vertembonorum, Stellatorum, Iaulcurtiorum, Marciliorum, Montebarrorum, Salinenſium: ex qua gente ortus eſt Diuus Claudius Byſuntinus Archiepiſcopus: ad cuius tumulum frequens eſt undique concurſus.

*Damaſceni. Luziani. Cluniaci. Digonẽſes. Gyurienſes. A Lõgouico A Caſtro ueteri. A Calce. Vertẽbonij. A Stella. Iaulcurtij. Marcilij. Montebarri Salinenſes D. Claudius*

## *Burgundionum Lingua.*

ANte Cæſaris in Gallias aduentum, atque adeò domitas Gallias, Galli antiqui à Phocenſibus, ut ait Strabo, edocti Græcis literis ut plurimum utebantur: quod & de Druydibus Philoſophis Gallicis tradit Cæſar, tabulis'que Helueticis Græcè ſcriptis. Tacitus quoque de Germanorum moribus indicat in Germania quædam ſepulchra Græcis characteribus inſculpta fuiſſe. Quin & Helliniſmus hodie poſt tot annos penes Gallos paſsim hæret: mirum'que eſt tam multas Græcas uoces uulgò audiri: meracius tamen apud Burgundiones, qui quò longius abſunt ab illo linguæ Gallicæ nitore, eò magis Græcam loquendi conſuetudinem referunt. Plurimas huius generis uoces annotarunt Gulielmus Budæus, Lazarus Bayſius, Nicolaus Borbonius, atque alij merè Græcas. Cæterùm credibile eſt nec tam paſsim, nec ubique,

*Galli à Phocẽſibus Græcas literas acceperunt. Druydes Græcis literis uſi. Heluetiorũ Græcæ tabulæ. Hellniſmus Gallicus. φιλέλληνες. Burgundiones.*

ubique, nec ab omnibus Gallis linguam Græcam uſurpatam, quin ſua uernacula crebrò uterentur: atque huius rei argumento ſunt uetuſta illa uocabula, quæ in ueterum monumentis leguntur: et haud ſcio, an Germani linguam ſuam inde hauſerint: illi tamen contendunt Germanorum uernaculam ſemper fuiſſe. Vtcunque res habeat, ſcimus Idioma, quo olim Galli utebantur, nunc magna ex parte Germanicum eſſe: quod arguunt uoces aliquot, quas exempli cauſa ſubijcere uiſum eſt. Heduos tradit Cæſar ſummum magiſtratum lingua Gallica Vergobretum appellaſſe. Eſt autem Verg Germanicè Verggen, quando magiſtratus cauſas exequitur, & abſoluit. Obret, uel Obreſt ſummus, ſeu ſupremus: ſonat igitur illa uox ſummus executor. Hedui in hanc diem uocant Vierg, antiquam linguam imitantes. Eius farinæ ſunt, quæ ab Egidio Claronenſi uiro apud Heluetios clariſsimo ſunt obſeruata: quæ nec à Græcis, nec à Latinis trahi ullo modo poſſunt, ſed quæ ab indigenarum Gallorum idiomate fluxiſſe uideantur. Hæc autem ſunt Bourgeoys, Germanicè Burger, Riche, Germa. Rich, curaſſe Kuris, Dague, Dagen gladius. Gerbe, Gerben, Bouk Bock caper. Eſperuier, Spervver. Bãniere, Banner. Banch, Banck. Et alia huiuſmodi propè infinita. Quas nec licet, nec libet recẽſere. Huc pertinet, quod Plinius libro decimooctauo, capite decimooctauo ſcribit, Gallos adinueniſſe uſum aratri cum rotis, quod lingua ſua uocant Plammorate: quam uocem ne Galli quidem

*Vergobretus Heduorum.*

*Vierg.*

*Egi. Claronenſis.*

*Plinius.*

*Galli aratri uſum adinuenerunt.*

*Plãmorate uox ueteris linguæ Gallicæ.*

hodíe agnoſcunt, qui uerò Germanicè norunt, hanc ad ſe trahunt. Idem libro tertio dicit, Pades Gallis eſſe piceam arborem, quæ fert picem: quod nobis quoq; ignotum eſt: ab hoc tamen Padum fluuium, quòd piceas ferat, nomen habere dicunt. Idem libro decimo ſeptimo Marga à Gallis terræ adipem uocari ſcribit. Idem libro tertio Eporedicas à Gallis uocari tradit ſtrenuos equorum domitores. Tranquillus in Galba, ait Galbam Gallicè ſonare præpinguem: quem & Germani uocant iocular iter Kalve. Idem in uitellio Beco eſſe uocem Gallicam, & Tholoſanam, ſignareq; Gallinacei roſtrũ: quod & agnoſcunt Galli. Idem ueſtis genus à Gallis Caracalam uocitari autor eſt. Addit unam legionem ex Tranſalpinis conſcriptam uocabulo Gallico Allaudam appellatam: quam diſciplina, cultuq; Romano inſtitutam, & ornatam poſteà uniuerſam ciuitate donarũt. Polybius populos, qui mercede cõducti in militiam irẽt, Gallica lingua Geſſatas uocatos tradit. Germani Geſſet ſeruos mercenarios appellãt, qui ut aliquid exequantur, mercede conueniunt. Burgundiones uerò, cùm recèns è Germania in Gallias penetraſſent, Germanicè locutos nemo neſcit. Id'q; indicat Sidonius ad Syagrium, quem Burgundionum Solonem appellat, & nouum Amphionem in temperandis trichordibus citharis propter trium linguarũ peritiam Latinæ, Germanicæ, & Prouincialis Celticæ. Fuit autẽ Syagrius Gallus Conſulis pronepos, ac inſignis Poëtæ ſemine prognatus: cuius opera utebãtur Burgundiones

*Pades Gallicum.* *Marga Gallicum.* *Eporedica Gallicum.* *Beco Gall.* *Caracala Galli. fortè Caraque.* *Allauda Gallicum.* *Polybius.* *Geſſatæ Gallicum.* *Burgundiones uſi lingua ſua Germanica.*

gũdiones Germani in enarrandis, interpretandisq́ Prouincialium præfectorum literis. Huc autem Sidonij Epiſtolæ uerba tranſtulimus. Cùm Conſulis (inquit) ſis pronepos, idq́ per uirilem ſucceſsionem, quanquàm ad cauſam ſubijciendam minus attinet: cùm ſis igitur è ſemine Poëtæ, cui proculdubio ſtatuas dederunt literæ, ſi trabeæ non dediſſent, quod etiam nunc autoris culti uerſibus uerba teſtantur: à quo ſtudia poſterorũ ne parum quidem in hac parte degenerauerunt. Immane narratu eſt, quàm ſtupeam ſermonis te Germanici notitiam tanta felicitate rapuiſſe: atqui pueritiam tuam competenter ſcholis liberalibus memini imbutam, & acriter ſæpenumero, eloquenterq́ declamaſſe coram oratore, ſatis habeo compertum: atque hæc cùm ita ſint, uelim discas, unde ſubitò hauſerunt pectora tua euphoniam gentis alienæ, ut modò mihi poſt ferulas lectionis Maronianæ, poſt'que ſudatam uaricoſi Arpinatis abundantiam, loquacitatemq́, quaſi de Ilario uetere nouus falco prorumpas. Aeſtimari minimè poteſt, quanto nobis, cæterisq́ ſit riſui, quoties audio, quòd te preſente formidet facere linguæ ſuæ barbarus barbariſmum. Aſtupet tibi epiſtolas interpretanti totus Germanorum Senatus, negotijs mutuis te arbitrum, diſceptatoremq́ deſumit. Nouus Burgundionum Solon in legibus diſſerendis. Nouus Amphion in cytharis ſcilicet trichordibus temperandis, amaris, frequentaris, expeteris, oblectas, adhiberis, eligeris, decernis, audiris, Hactenus ille: qui etiam ad Ca-

*Ilarius.*

*B. Rhenanus.*

tullinum Germanicas Burgundionum cantiones ridet his uerbis:

*Germanicæ cãtiones Burgundionum.*

*Crinigeras Burg. cateruas uocat.*

*Inter crinigeras ſitum cateruas,*
*Et Germanica uerba ſuſtinentem*
*Laudantem tetrico ſubinde uultu,*
*Quod Burgundio cantat eſculentus.*

*Eſculentus Burgundio.*

*Scholæ publicæ in prouincijs Romanis.*

Verùm Latinè quoq; didiciſſe uidere eſt, ex ſcholis Prouincialibus, quæ apud Veſuntionem, Lugdunum, Heduos'que fuere: & credibile eſt inter Gallos diuerſantes Prouinciali linguæ aſſueuiſſe. Ea ut plurimùm Latina erat: nam Romani, quò ſibi obſequentiores redderent ſubactos undique populos, Romanè loqui uolebant: miſsis ad id negotij Rhetoribus, qui paſsim ludos in Prouincijs aperirent. Quorum fuit Latinus Pacatus: cuius extat ad Conſtantinum Panægyris. Inter hos etiam perhibetur Lactantius Firmianus fuiſſe. Qui Criſpum Cæſar. Conſtantini Auguſti filium in Gallia docuit. Id uerò ſatis comprobat Ara illa dignitatis eximiæ Lugduni: ad quã certamen Græcæ, Latinæq; facũdiæ Caligulam Imperatorem inſtituiſſe Tranquillus cõmemorat. Iuuenalis item meminit. Nam huiuſmodi tẽpla Romanis principibus dicata ſcribit Cornelius Tacitus hiſtoriæ Auguſtæ libro primo. Cuius uerba ſic habẽt. Templũ ut in Colonia Tarraconenſi ſtatueretur Auguſto, petẽtibus Hiſpanis permiſſum, datumq; in omneis prouincias exẽplum. Galliam autẽ ſub Cæſaribus obnixè eloquentiæ ſtuduiſſe indicat Auſonius

*Latinus Pacatus Rhetor, ac Panægyriſtes.*

*Lactantius Firmianus in Gallia docuit.*

*Certamen Græcæ, ac Latinæ linguæ Lugduni.*

in Moſella Belgicæ primæ fluuio,in hæc uerba.

*Aemula te Latiæ decorat facundia linguæ.*

Et Martialis:

*Gallia cauſidicos docuit facunda* Britannos.

*Gallia æmula eloquētiæ Romanæ.*

*Britannos Gallia docuit.*

Hæc ſunt Pręſes ornatiſsime,quæ de Burgundiæ ſtatu his diebus , quibus in Burgundia Heduorum fuit principis comitatus, obiter obſeruauimus:quibus adijciendum uidetur,quę de urbibus conſcripſimus.Nec uerò quenquam moueat, quòd ab Arelate fecerim huius commentarij initium,cùm procul hodie à Burgundiæ finibus abſit.Eò enim uſque porrigebatur Burgundia,ut fuſius indicaturi ſumus.

## *Arelate Burgundiæ olim Regia.*

ARelatem, Sextanorum Coloniam fuiſſe tradunt ſcriptores: in qua Sextæ Legionis milites ad limitis cuſtodiam perpetuò excubarēt.Ea ciuitas ad Rhodanum undiq; ſepta eſt paludibus: in quibus hodie pręferoces aluntur boues. Fuiſſe uerò nobile emporiū teſtatur his uerbis Strabo. Narbo(inquit)ampliſsimum eius regionis ſupra exitum Ataxis fluminis,Narbonenſem'q; lacum iacet: Rhodano autem oppidum, Emporiumq; non paruum Arelate. Hæc ipſa pari inter ſe interuallo Emporia diſtant, & à memoratis promontorijs. Narbo quidem ab Aphrodiſio: Arelate uerò à Maſsilia. Fuiſſe autem hanc appellationis

*Colonia Sextanorum.*

*Boues agreſtes.*

*Emporium.*

*Aphrodiſiū*

causam inuenio. Scribit Cornelius Tacitus, tem-
*Ponebantur Cæsaribus templa.* plum in Colonia Terraconenſi, ut ſtatueretur Augu
ſto, petentibus Hiſpanis permiſſum fuiſſe, datumq́;
in omnes Prouincias exemplum. Quare apud Are-
*Ara lata.* latem excitatam aram prodigioſæ magnitudinis cō-
ſtat: ad quam ſtato anni tēpore duos iuuenes ſacros,
*Sanguinarium ſacrum.* obeſosq́; (toto etenim anno in id publicè alebantur)
mactabant: quorum ſanguine circunfuſam aſperge-
bant multitudinem, eo'q́; ſcelera expiari credebant.
Quem ritum pluſquam pecuinum ſuſtulit Diuus
*D. Trophimus à Paulo miſſus.* Trophimus Pauli apoſtoli diſcipulus, qui primus
in ea ciuitate epiſcopum egit anno imperij Neronis
ſecundo à Paulo in Gallias deſtinatus: ex cuius fon-
*Zoſimus.* tibus, ut Zoſimus Pontifex maximus ſcribit, uni-
uerſa Gallia fidei riuulos accepit. Porrò immane il-
*Phocenſes ſacra Dianæ in Galliam inuexerunt.* lud, horrendum'que ſacrum à Phocenſibus uenerat,
quorum Colonia fuit Arelate. Nam Dianæ infanda
ſacra in Galliam Strabo patria exportaſſe refert in
hæc uerba. Nam cùm Phocenſes à natali ſolo diſce-
derent, ſermonē excidiſſe traditur nauigationis prin
cipi, atque duci, ut ab Diana Epheſia curſus initium
auſpicarentur. Igitur Epheſum appulſos percontari,
quonammodo ex Dea imperatum aſſequerentur.
*Ariſtarcha culta.* Porrò Ariſtarchæ matronæ admodum honoratæ
in ſomnis aſtitiſſe imperantem, ut accepta quædam
*Simulachra Phocenſ.* à ſacris ſimulachra, unà cum Phocenſibus, quò
irent, aſportaret. Eo autem confecto, ut primum
Colonia curſum expleuit, & phanum ædificatum eſ-
ſet, & Ariſtarcham eximia ueneratione habitam,

temp

templiq́ſacerdotem deſignatam, ſubinde in Ciuitatibus per Colonias deductis Deam hanc ubique honorem imprimis aſſecutam, & eundem diuinæ ſtatuæ ordinem, & reliqua eodem ritu ſeruari, quæ in ipſa Metropoli cõſueuere. Hæc ille de ſacris. De rebus uerò urbanis Maſsilienſium, atque Arelatenſis Coloniæ in hũc modum. Illi rem urbanam per optimates, & Ariſtocratiam regentes omnes Legum equitate ſuperant, concilium ſexcentis ex uiris inſtituentes, qui, quoad uita ſuperſit, id honoris genus habent, quos Tinnitos, id eſt honorificos appellant. Quindecim uerò Senatus ſunt Principes, quibus, quæ ad manus prompta obueniunt, moderari, atq́ regere datum eſt. Rurſum ex hiſce quindecim tres ſunt Præſides, quibus plurimum poteſtatis attribuitur. Verùm ex his nemo Tinnitus creatur, qui liberos non habet, quíue è ciuium ſanguine tertiam per generationem ortus ſit. Eorum leges Ionicô de more ſunt publicæ propoſitæ. Hactenus ille. Arelatem uerò Burgundionum regiam fuiſſe autor eſt Græcus Procopius, qui à Burgundionibus occupatam fuiſſe tempore Iuſtiniani Auguſti ſcriptum reliquit, cùm tamen prius cõſtet fuiſſe. Eius propemodũ uerba ſunt. His temporibus facto in Romanum imperium tumultu partim Pannonias, partim Gallas ultra Rhodanum fluuium ſuæ ditioni ſubactas, uectigalesq́ tenuerunt. Idem. Habuerũt Germani Italiæ loca, & totius oræ maritimæ ſucceſſu potiti ſunt. Maſsiliam Phocenſium Coloniam circa mare in

*Multæ Phocenſium in Prouincia Rom. Coloniæ.*

*Id eſt, Maſſiliæ.*

*Status ueteris Reipubl. Maßilienſis ex Strabone*

*Sexcenti Senatores olim Maßiliæ.*

*Tinniti.*

*Quindecim principes Senatus.*

*Tres Præſides.*

*Mos Ionicus*

*Procopius.*

*Arelate quo tempore in Burgũd. poteſtatem uenerit.*

ditionem acceperunt: unde & in loco Arelate, ub nunc eſt, reſederunt. Hi aureum nummum cudunt natiuo Galliarum metallo. Vnde Ligurinus.

*Nummũ cudebãt Burg.*

*Ligurinus Poëta.*

*Quæq́; caput regni, ſedesq́; fuiſſe uetuſti*
*Fertur Arelatum, priſcorum curia regum.*

Et paulò poſt.

*Nomen apud ueteres regni, titulumq́; gerebat:*
*Cuius Arelatum ſedes.*

*Aquæ Sextiæ.*

*Sextius Salios uicit.*

Arelate uicinæ ſunt aquæ calidæ: quæ quòd olim Romanis utiles apprime eſſent, magnum ex ipſis suſceperunt incrementum: ad quas (ut ait Strabo) Sextius potiſsimùm redactis in poteſtatem Salijs ſui nominis ædificauit oppidum, ſuæ'que appellationis aquas dixit Sextias: quarum partem in frigidas permutatam eſſe ferunt. Condendi autem Sextio oppidi conſilium fuiſſe ſcribunt, ut illic Romanum collocaret præſidium, quo Barbaros ex eis reprimeret litoribus, quæ ex Maſsilia ducunt in Italiam, cùm Maſsilienſibus illis coërcendis non ſuppeterent uires. Addit Strabo complures in oppido oſtendi exuuias, quas ab illis rapuerant, qui in præſidio apud Sextias aquas diuerſabantur. Illic cæſos fuiſſe Cymbros à Mario ſcribit Diuus Hieronymus. Alteram uerò Prouinciæ Romanæ partem, quæ ad Burgundiam ueterem haud dubiè pertinet, Goſius Amaſinus Geographus ſic ferè exequitur. Rhodanus amplisſimus, compluribus'que introfluentibus auctus aquis longiſsimam aduerſo flumine nauigationem habet

*Cymbri cæſi à Mario apud Aquas Sextias.*

habet à Maſsilia. Itaque initio capto, & ducto per medium agrum inter Alpes, & Rhodanum curſu, uſque ad Druentiam amnem per ſtadia quingenta Salij incolunt. Vbi nauigio traieceris ad oppidum Caballionem, tota deinceps regio horum eſt, uſque ad Iſaris, & Rhodani coitiones. Hoc in loco Cemmenus Rhodano adiungitur. Huc uſque à Druentia longitudo ſtadiorum quingentorum eſt. His in locis & campeſtria, & montana ſupernè Salij habitant, ſuper Quaros Vocontij, Tricorij, & Iconij, & Medilli manſiones habent: at inter Druentiam, & Iſaram alij quinque fluunt amnes ex Alpibus in Rhodanum. Duo quidem Quarorum, & Varorum oppida circumfluunt communibus in Rhodanum curſibus irrumpentes. Tertius uerò Surgas ad urbem Vndalum: quod hodie Pons Sulgæ dicitur. Vbi Cneus Aenobarbus ingenti prælio complura Gallorum millia uertit in fugam. Sunt medio in ſpacio urbes Auenio, Arauſio, & Aeria: quæ ſic appellata eſt teſte Artemidoro, quia in ſublimi ſic ædificata cacumine. Reliqua tota eſt planities, fertileque miniſtrat pabulum. Tranſitus uerò Aeriæ ad Durionem nemoroſas habet locorum anguſtias: quo in loco Iſar, & Rhodanus ad Cemmenum montem confluũt. Quintus Fabius Maximus Aemilianus (ut multis Hiſtoriographorum Romanorũ locis non ſine noſtræ cõtumeliæ, & damni grauiſsimi memoria conſtat) triginta uix militum millibus ducenta Gallorum millia ad internecionem dedit, & de

*Druentia. Stadia 500. Saliorum. Caballio. Iſar. Rhodanus. Cemmeni montes. Quari. Vocontij. Tricorij. Iconij. Medilli populi. Surgas flu. Vndalum oppidum. Aenobarbus Gallos in fugã uertit ad Vndalum oppidum. Auenio, Arauſium. Aeria, quare ſic dicta. Qu. Fabius trophæum erexit ad Durionem.*

lapide candido ibidem trophæum erexit,ac templa duo, Marti quidem unum, Herculi uerò alterum. Hæc ille. In hac porrò deſcriptione celebriores ſunt hodie Maſsilia, Auenio, Aquæ Sextiæ, Caballio, Arauſio, Cabilonenſium imperio olim inſignis: in qua Theatri ingentis ruinas, & ſtupendi operis murum quadrato affabre lapide uidimus, & cui haud ſcio an Gallia uniuerſa ſimilem habeat. Eſt & ad portam, quæ Lugdunum ſpectat, Arcus triumphalis, cum inſculpta equeſtri pugna, quam diu magna uoluptate ſpectauimus. Illic muri ſepimentum circumiectum arcui, quod uetuſtatis monimentum diu ab iniuria tueatur. Huc & Nemauſum pertinet Amphitheatro antiqui operis uiſendum (arenas uocant) mirum illic oſtendi ſubterraneum meatum, qui per tranſuerſum Rhodanum ſub ipſo alueo ductus in procul diſsitam perueniat ciuitatem. Facit Aelius Spartianus, ut credam Marcum Antoninũ Amphiteatri opus ingens conſtruxiſſe. Eſt & Baſilica Plotinæ, quã Hadrianus Imperator exædificauit, ut autor eſt Spartianus: cuius uerba ſic habent. Per idem tempus in honorem Plotinæ Baſilicam apud Nemauſum opere mirabili extruxit. Vetuſtis huiuſmodi ſubſtructionibus in Allobrogibus florent oppida, atque agri: ad quæ uiſenda non puduit Chriſtianiſsimum Regem multos dies in gratiam antiquitatis collocare: quodq́ admirentur poſteri, reuulſas ſtatuas, inſcriptionesq́ uehiculis impoſitas Melledunum uſque aduexit ad ornamentum arcis illius, quam

*Tẽpla Martis, et Herculis cõſtructa à Fabio.*

*Orangia uulgò.*

*Theatrum lateritiũ Auraſiorum.*

*Arcus triũphalis cum equeſtri pugna.*

*Nemauſum oppidum.*

*Amphitheatrum apud Nemauſum.*

*Aelius Spartianus.*

*M. Antoninus Pius.*

*Baſilica Plotinæ.*

*Hadrianus Imper.*

*Statuæ ex mœnibus reuulſæ in prouinc. Romana regis Frãci. iuſſu.*

quam in Silua Fontis belli molitur. Narrauit autem nobis Maynus regiorum liberorum præceptor doctiſsimus, Regem ipſum, quoties in tumulos illos altius humi defoſſos incidiſſet, crebrò, ut legeret, procubuiſſe uelut regiæ maieſtatis faſces antiquitati ſubmittens, ſe'que telluri aduoluiſſe. Quis antiquitatis inſtrumentum non reſtitutum iri tanto principe ſperet? Qui antiquorum monimenta, humo refoſſa, mœnibus urbium reuulſa, undique diligenter conquiſita, in ipſas regiæ turres infert, atque inculcat, principũ oculis ſpectanda. Ciuitatis (ut unde digreſſus, ſum redeam) Arelatenſis meminit Ptolomæus lib. ij. cap. x. titulo Gallia Narbonenſis: ubi ſub titulo Salies ponit Arelatũ. Et Plinius lib. iij. ca. iiij. In mediterraneo Colonia Arelate Sextanorum. Cuius etiã frequenter meminit in itinerario Antoninus.

*Rex Chriſtianiſ. Franciæ antiquitatis ſtudioſus.*

*Ptolomæus.*

*Arelatum Saliorum.*

*Plinius.*

*Antoninus.*

Vrbem longè omnium in Allobrogibus principem Viennam Burgundici cancellarij ſedem fuiſſe ferunt. Is præfectus iuris rectè dici poſsit: licet prior uox Iuſtiniani principis ſeculo inoleuerit, in cuius ſanctionibus extat: qua etiam uſus eſt Flauius Vopiſcus in Carino. In hunc igitur rerum omnium, conſiliorum'que moles, ac ſumma incubuerat. Sacrum etiam ius ſuum Sacerdotio reddebat Ciuitas Metropolis, ac iuris caput habebatur. Præſuli percutiendæ monetæ poteſtas, & cum inſcriptione huiuſmodi MAXIMA SEDES GALLIÆ. Ea urbs ad Rhodani ripas ſita eſt in Lugdunẽſis agri confinio, quam liberam, iuriſq; Italici fuiſſe, aſſerit Paulus Iurecõſ. libro

*Vienna.*

*Fl. Vopiſcus*

*Vienna iuris Italici.*

Pandectarum duodecimo, titu. de Cenſibus. Lugdu nenſes (inquit) Galli. Idem. Viennenſes, & Narbonenſes iuris Italici ſunt. Maximam autem de principatu rixam inter Viennenſes, Lugdunenſes'que ſatis indicant ueterum numiſmatum inſcriptiones, quarum paulò pòſt meminimus. Quã iam olim decertatam fuiſſe, ſic indicat Cornelius Tacitus in Nerone. Veterẽ (inquit) inter Lugdunẽſes, Viennenſesque diſcordiam proximum bellum accenderat. Multæ inuicem clades crebrius, infeſtiusque, quàm ut tantùm propter Neronem, Galbam'que pugnaretur. Et Galba Lugdunenſium occaſione iram in fiſcum uerterat. Multus contrà in Viennenſes honor. Vnde æmulatio, & inuidia, & uno amne diſcretis connexum odium. Igitur Lugdunenſes extimulare ſingulos militum, & in euerſionẽ Viennenſium impellere, obſeſſam ab illis Coloniam ſuam, adiutos uindicis conatus, cõſcriptas nuper legiones in præſidium Galbæ referendo: & ut cauſas odiorum prætenderent, magnitudinem prædæ oſtentabant: nec iam ſecreta exhortatio, ſed publicæ preces, irent ultores, excuderent ſedem Gallici Belli, cuncta illic externa, & hoſtilia. Hinc Coloniam Romanam, & partem exercitus, & proſperarum, aduerſarumque rerum ſocios, ſi fortuna contra daret, futuros. Audis mutuum odium, quo Vienna Lugdunum inſectabatur. Cæterùm Romani Imperij carcerem ſunt qui fuiſſe ſerio contendant: uerùm nullis claſsicorum teſtimonijs innixi. Quorum ſententiam, ut non admodum

*Rixa Vienneſium cum Lugduneſi.*

*C. Tacitus.*

*Clades utrinque.*

*Nero Lugdunenſibus Galba Viennenſibus fauebat.*

*Mirum odium.*

*Carcer Roma. Imperij.*

probo, ita nec peruicaciter eleuo. Ex eadem figulina conficta eſt P. Pilati fabula, & famoſum illud ſpecus, quod nebulis perpetuò obũbratur. Viennæ nomen hinc ferunt, quòd à Venerio Aphro exule extructa biennio fuerit: quam & Senatoriam dictam fuiſſe comperio. In ea Martis, et Victoriæ olim templa Senones ædificaſſe ad orientalem plagam proditum eſt. Tiberium Grachum Platoniam (id ædificij nomen eſt) Viennæ condidiſſe, & Rhodanum pōte iunxiſſe, caſtellis utrinq; adiectis inſigni, autor eſt in annalibus Libicus. Idem alia urbis ornamenta ſic cõmemorat. Inde poſt aliquãtum tẽporis, quinq; legiones conſtructis quinque caſtris in circuitu eam inſignem fecere, ac publica horrea, & cellaria totius militiæ ibi conſtituerunt. Ex nominibus autẽ Tribunorũ Iulij Cæſaris nomina caſtris indiderunt, Grappum, Eumenium, Goſpoliũ, Quiriacum, Prompeciacũ. Iam memorabile uerò uidetur augurium Viẽnæ Vitellio accidiſſe: cuius Tranquillus his uerbis meminit. Mox Viennæ pro tribunali iura reddenti gallinaceus ſupra humerũ, ac deinde in capite aſtitit: nec fefellit cõiectura eorũ, qui augurio nõ aliud portendi prædixerant, quã uenturũ in alicuius Gallicani hominis poteſtatẽ: ſiquidẽ ab Antonio primo aduerſarũ partiũ duce oppreſſus, cui Tholoſæ nato cognomẽ in pueritia Beco fuerat: id ualet gallinacei roſtrũ. Anno autẽ Neronis Imperij altero Paulus apoſtolus, cũ toto biẽnio in libera captiuitate uixiſſet, atq; in Hiſpaniã penetraſſet, dicitur Trophimũ Arelatẽ.

*Pilati fabula.*

*Venerius.*

*Viẽna Biennio condita, quæ & Senatoria dicta olim.*

*Tẽpla Martis, & Victoriæ.*

*Platonia.*

*T. Grachus pontẽ Viennæ cõſtruxit Libicus.*

*Caſtrorum nomina.*

*Augurium mortis Vitellij Viennæ.*

*Beco.*

*Creſcẽs Pauli diſcipulus* Creſcentem Viennam amandaſſe ad Euangelicum negotium. Atq; hoc fuit eius epiſcopes initiũ: in qua hactenus uixerunt eruditione non minus, quàm ſanctimonia uiri planè ſuſpiciendi, qui ædes ſacras orthodoxiæ officinas, templaq; altè minantia ædificarunt. Cuiuſmodi eſt Mauritij nominatiſsimum ſacrarium, quo nihil ſanctius conſpici poteſt. Eius mo-*Eoldus.* lis autorem ferunt Eoldum uirum ſanctum Francorum regibus affinem: qui tum urbis epiſcopatum gerebat. Hanc igitur ædem Mauricio, & ſacræ Thebanorum legioni dicauit, donarijsq; magnificis auxit: quam tamen primum Cretaceam cõſtruxiſſe audio. Fuit eiuſdem urbis antiſtes Mamertus, qui cla-*Mamertus episc. ſupplicationes inſtituit.* dem urbi imminentem deprecatus eſt indictis, quas & ad poſteros tranſmiſit, ſupplicationibus. Siquidẽ incendia crebra, terræ motus aſsidui, nocturni ſonitus, umbrarum portentoſa incurſatio, totius urbis funus, prodigioſum quiddam, & fatale minitantes ho-*Prodigia.* minum conuẽtibus, ac domeſtica ſilueſtriũ ferarum ſpecies obuerſabatur. Lupi, Vrſi, Cerui, natura ſua pauidi per anguſtas ciuitatis portas in ipſa uſq; fora penetrabant. Quid multis? Imminente Chriſti natalitio, quo ad multã noctem uigilias agitare con-*Incendium ædis ſacræ Vienn.* ſueuerunt piorum cœtus, ædes publica, quam præcelſo ciuitatis uertice ſublimitas in immenſum faſtigiata ſuſtulerat, flammis terribilibus conflagrare crepuſculo cœpit. Interpellatur nuntio diſcriminis, iucunditas, ſubſtructionis undiq; crepitãtibus flammis, populo ſublatis clamoribus undiq; dilabente.

Ciues

Ciues nanq; ſimilem facultatibus, uel domibus proprijs caſum de prominentis incendij arce metuebāt. Perſtitit tamen coram feſtis altaribus inuictus antiſtes Mamertus, & calore fidei ſuæ commotus, propius ad incendium accedens, omnem flammæ uim, impetum'que reſtinxit. Deſperatione depoſita reditur ad ſacram Baſilicam. In eadem uigiliarum nocte concepit animo ſupplicationes, quas litanias Græci uocitant: atque ibi cum Deo tacitus diffiniuit, quicquid hodie precibus mundus inclamat. Id ipſum imperante Clodouæo magno apud Francos contigiſſe tradunt. Hanc ſupplicationum inſtitutionem in hęc uerba poſteris tradidere: quarum celebritas in hanc etiam ætatem perdurat. In gratiam porrò Turnonij uini generoſiſsimi, non abs re uidetur addendum, quod Plinius de eo iam olim prodidit. Iam inuenta (inquit) uitis per ſe in uino picem reſipiens, Viēnenſem agrum nobilitans, Aruerno, Sequanorumq́;, & Heluetico generibus, non pridem illuſtrata.

*Mamerti fiducia.*

*Turnonium uinum in agro Vienenſi.*

*Plinius. Vinū picem reſipiens.*

Diuus Hieronymus in Epiſtolam ad Galathas. Oppidum, inquit, Rhodani, Coloni Rhodiorum locauerunt: unde amnis Rhodanus nomen accepit. Plutarchus, ac Liuius ſcribunt dictum locum illum inſulam, Hannibalemq́; multis cōſilijs perſuaſum caſtra mouiſſe, & per ripā Rhodani aduerſo flumine profectum paucis diebus perueniſſe ad locum, quem Inſulam Galli appellant, quamq́; Arar, & Rhodanus, ex diuerſis montibus confluentes efficiunt. Eo igitur loco ſitum eſt Lugdunum, haud dubiè uetuſtiſsimum:

*Lugdunum oppid. Rhodani.*

*Coloni Rhodiorum.*

*Inſula Gallica.*

Athenienſes ſunt enim, qui ad Athenienſes initium referant, multaq́ue de ara Athenienſi comminiſcantur: quam illic eximiæ dignitatis fuiſſe in confeſſo eſt: ad quam C. Caligula Imper. teſte Tranquillo certamen Atticæ, Latiæq; augurãdæ Mineruæ inſtituit. Vnde, qui in hanc arenam deſcenderent, & famæ, et ſalutis diſcrimẽ inire coactos fuiſſe cõſtat. Id Iuuenalis ſic innuit:

Ara Lugdunenſis.

C. Caligula.

Certamen ad Aram.

*Palleat, ut nudis preßit qui calcibus anguem:*

*Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram.*

Pœna uictis propoſita.

Victi ſiquidẽ (ut aiunt) aut proximo fluento mergebantur: aut ſcripta, lingua, ſpongia'ue iugulabãt: aut uictoribus Panægyricos dicebant: & ueluti herbam ſponte porrigebant. Quod uerò ad urbis nomen attinet, nihil moror fabulamenta, quibus chartarum lacunas quidam explent. Cuius ordinis eſt Annius quidam, qui Beroſo fabulatori hircum mulgenti, cribrum ſupponit. Lepidum ſanè eſt, quod quidam ſomniant ſpeculum in colle Veneris, qui urbi imminet, fuiſſe, in quo ex Allobrogum montibus Lugdunum cerneretur: à cuius luce, ac fulgore Lugdunum appellatum, ſibi tenebriones perſuaſerunt. Hermannus quidam ſibi idem licere uolens Lugduni Cæſaris legionem conſcripſit, à qua inditum urbi nomen ſomniauit. Quæ (malũ) impudentia eſt, ut quæcunq; nobis per ſomnium occurrunt, tanquam ex Tripode effuſa chartis illinamus? quaſi ante Cæſaris in Gallias aduentum nulli innotuerit Lugdunum: quò Coloniam deduxiſſe conſtat Plancum Numatiũ, ut ex inſcriptione, quę adhuc Caietæ urbe

Hermãnus. Lugdu.

Plancus Numatius Lugdun. Coloniam duxit.

urbe maritima agri Neapolitani uiſitur,licet collige re. L.Numatius,L.F.L.N. L.Pro.N. P.V.COS. Cenſ.Imp.Iter VII. Vir.Epul.Triumph.Ex Rhetis Aedem Saturni,F.de manubijs, Agros diuiſit in Italia Beneuenti. In Gallia Colonias deduxit Lugdunum, & Rauricam. Ego potius à lugubri incendio conflatum nomen reor, quo frequenter conflagraſſe legimus. Accedit,quod in uetuſtiſsimis inſcriptionibus legitur LVGVDVNI. Cuius incendij ab origine ſua centeſimus annus eſt: ætas ne homini quidem extrema. Huc Colonia à Planco deducta in hac frequentia loci opportunitate conualuit: & pòſt paulò ciuitas arſit opulenta, ornamentum'que Prouinciarum,quibus incerta erat,& excepta. Idem addit multa cecidiſſe in id,ut altius ſurgerent. Lugduni Strabo locis aliquot commeminit: quam Angoſianorum urbem nominat: alij Secuſianorum legunt. Lugdunum (inquit) in colle conditum. Arar amnis Rhodano commiſcetur,Romano tenetur Imperio. Ampliori quoqꝫ ſupra reliquas excepta Narbone ciuitas floret uirorum ordine. Nam & magno uſui eſt illis Emporiũ:monetam auream,atqꝫ argenteã eo in loco Romani ſignant duces. Tẽplum etiam ab uniuerſis Gallis cõmuni deſignatum impenſa, & Auguſto Cæſari dicatũ ante hãc urbem ædificatum eſt, ubi fluuiorum eſt coitio. Adeſt & ara dignitatis eximiæ,gentium lx,numero inſcriptum habens titulum:earumqꝫ ſingularum ſtatua una alia ſubinde ingens locata eſt ara. Hãc urbem genti Secuſianorum

*L.Plancus.*

*Inſcriptio Caietæ.*

*Raurica Planci Colonia.*

*LVGVDVNVM in ſaxis paſſim legi.*

*Tempus incẽdij Lugd.*

*Angoſianorum oppidũ Lugdun.aut Secuſianorũ*

*Lugdu.olim in colle.*

*Rom. duces monetam ſignaſſe Lugduni.*

*Templũ cõmuni Gallorum impẽſa factũ Lugd. quod hodie dicitur Athenatenſe.*

*Statuæ lx. Gallicarum gẽtiũ in Augusti Cæſaris honorẽ.*

*Secuſiani,q.*

*Summũ templum ex ruinis tẽpli Augusti confectum eſſe.*

præſidere conſtat, quæ in Rhodani, & Dubidis medio iacet. Cæterùm ex huius templi ruinis concreta eſt illa ſummi templi ſtructura. Quod Ioannis Burgundiæ quondam regis opus dicitur, ut ex antiquis marmorum ruderibus, ſaxorum'q; inſcriptionibus

*Poſterius incendium ex Herodiano.*

conijcere licet. Poſterioris huius urbis incendij Herodianus meminit libro tertio. Vbi enim iam in Galliam Seueri copiæ peruenerant, leues quidem primò pugnæ, quaſiq; uelitares fuerunt: poſtremò apud

*Vrbs magna & opulenta*

Lugdunum magnam urbem, atq; opulentam prælium commiſſum fuit. Nam cùm ſe mœnibus tenuiſſet Albini exercitus, euaſit in pugnam. Seueriani magna ſtrage edita, ad urbem peruenerunt: direptum,

*Albinus Ceſar Lugdu. oppreſſus.*

*Euſebius.*

incẽſumq; Lugdunũ, Albino caput abſciſum, perlatumq; ad Seuerũ eſt. Hæc Herodianus. Vrbis etiam huius preſtantiã ſic effert Euſebius. Galliarum nobiliſsimæ urbes Lugdunenſium ciuitas habebatur, & Viennenſium: quas præcipiti lapſu preterfluit Rhodanus nobiliſsimus fluuiorum. In his quæ, & quanta

*Antonini ueri tẽporibus multi Lugd. Martyres.*

erga martyres Dei geſta ſint ſuprà memoratis Antonini Veri temporibus deſcripta per ordinem ab eis ad eccleſias Aſiæ, et Phrygiæ fideli relatione trãſmiſſa ſunt. Oppidi antiquitatem imprimis arguunt

*Fornices, et aquæductus mirabiles.*

fornices, aquæ ductus ſupra bis centum exeſi, et terebrati colles: quos unda incredibili artificio perfluebat ad duodecim pluſminus milliaria. Quibus farciẽdis uix ſatis eſſent Galliarum opes. Fidei, ſiue per-

*Potinus ab alijs dicitur.*

ſuaſionis Chriſtianæ indidem fundamẽta iecit Phutinus epiſcopus Græcus, apoſtolorum'que tempori

uicinus

uicinus: quo ſuaſore Hirenæus cum nouem piorum millibus in Antonini Veri carnificinam incurrit: unde Sangonam à ſanguine cæſorum uocatum Ararium conſtans eſt fama: cuius nominis mentionem fecit Ammianus Marcellinus. Primùm igitur omnium illic excitata eſt diuo prothomartyri Stephano ædes, quæ celebris etiamnum in ea urbe uiſitur, in eaq́ꝫ primùm ſacris operati ſunt Pij pōtifices: quorum regia ſequentibus annis ad Nicetij traducta eſt, ea'que apoſtolorum Baſilica uocitata: in qua uiri ſanctiſsimi, ac in diuorum cœtum allecti uixere Phutinus, Hireneus, Iuſtus, Alpinus, Antrochus, Elpidius, Sicarius, Eucherius (qui ingenij monimentis orbi innotuit) Deſiderius, Veranus, Patiens, Aphricanus, Ruſticus, Stephanus, Viuentiolus, Lupus, Agobaldus, Sacerdos, Nicetius, Arigius, Annemūdus, Geneſius, Lambertus, Remigius: qui eccleſiam ſanctiſsimis inſtitutis eò euexerunt, ut hodie primas iure teneat. Quod olim uidit Bernardus Abba Clarouallenſium ſanctiſsimus. Illam enim hoc celebrarunt elogio. Inter eccleſias Galliæ conſtat profectò Lugdunenſem anteire ſicut dignitate ſedis, ſic honeſtis ſtudijs, et laudabilibus inſtitutis. Vbi enim ęquè uiguit diſciplinæ cenſura? morum grauitas? maturitas conſiliorum? autoritatis pondus? antiquitatis inſigne? Præſertim in officijs eccleſiaſticis haud facilè unquam uiſa eſt repentinis nouitatibus acquieſcere: nec ſe aliquando iuuenili paſſa eſt decolorari leuitate. Hæc ille. Summi autē in ea magiſtratus archiepiſcopus,

Εἰρηναῖος Ποθεινοῦ τοῦ ἐπισκόπου Λουγδούνων diſcipulus.

Sangona, id eſt Arar.

A. Marcellinus.

Stephani ædes.

Pontificum regia ad Nicetij olim.

D. Eucherius.

Eccleſia Lugdu. primas tenet in Gallia.

D. Bernardi elogium.

Eccleſia Lugdun. res nouas reſpuit.

ſcopus,à quo reliqui Gallici antiſtites iura ſacrorum accipiunt. Huic ad Ioannis ſedes eſt, quam L. Borbonius ex ſummo purpuratorum ordine Præſul, ac Princeps,ea,qua uiſitur magnificentia, excoluit. Duce archiepiſcopo militabant ſeptuaginta ſacrifici

*Comites.* cœleſtis militiæ comites. Ii ad pauciores redierunt.

*Equites.* Acceſsit albatorum acies equeſtris: ut'que hic ſacer exercitus undiq; eſſet ornatior, numeriſq; omnibus abſolutior,Burgundiocum regem huius inſtituti parentem ſanctione cauiſſe ferunt: ut qui nomen huic

*Memorabilis ſanctio.* dediſſent militiæ,nuſquam terram pedibus calcarẽt, ſed admiſsis equis urbem obirent, forſan ea legis ſa-

*Mens legis.* cræ mens erat, ac ſcopus,inquietos, ac uagos domi

*In uagos Sacrificos.* continere, ac publico ſacrificos abſtinere. Illud ſcitum, quod ab eo templo omnis Simphoniacorum,

*Exploſa muſica.* muſicorum'que organorum ſtrepitus abeſt, qui potius ad inanem aurium oblectationem, quàm diuinum cultum,uidetur pertinere, niſi parcius admittatur: quod locis quibuſdam immodicè auditur. Pro-

*Aedes Pauli, à quo condita.* ximè ſequitur hanc magnæ molis Pauli ædes,quam Diuus Sacerdos,urbis Præſul ſanctiſsimus,à fundamentis excitauit. Viſendum ſanè opus. Alpinus au-

*Aedes Stephani.* tem Stephani prothomartyris ædem ædificandam curauit. Eucherius ſanctitate perinde,ac monimẽtis

*Baſilica apoſtolorũ, quæ & Nicetij.* ingenij conſpicuus Baſilicam apoſtolorum, quæ & Nicetij eſt,ædificauit. Longo hunc interuallo ſecutus eſt Salomus,qui eandem ſua ætate collapſam, ſimul & templum Athenatenſe mirificè reſtituit. Deinde Patiens epiſcopus,templum in edito colle po-

ſuit

ſuit; in quo piorum carnificinam editam olim conſtat; id hodie ſacrum eſt Hirenæo. Georgiarum delubrum, atque Eulaliæ educi in altum iuſsit magnus ille Sacerdos. Arigium epiſcopum operum pulcherrimorum autorem fuiſſe prędicant, Iuſtini cœnobij, ac Baſilicæ Crucis ſacroſanctæ: cui incumbit ſummũ templum. Annemundus martyr Petri templum conſtruxit. Velatis uirginibus Parthenonem, magnificis'que ornamentis proſecutus eſt. Cæterùm Hugo quidam Collegium canonicorum in æde Hirenæi erexit, dignisq́ auxit prouentibus. Pontem uerò illum ad Ararim magnis ſumptibus conſtruendum curauit Hubertus archiepiſcopus. Ludouicus Villarius canonicorum Collegium ad Nicetij inſtituit, optimis'que redditibus dotauit. Cæterùm ex quinta Aurelianenſi Synodo, quæ tempore regis Childeberti circa tempora Pelagij pontificis celebrata eſt, conſtat xenodochia quædam à Childeberto Lugduni condita. Ea uerba ſic habent. De xenodochijs uerò, quæ pijſsimus rex Childebertus, & coniugalis ſua Vltroco regina in Lugdunenſi urbe (inſpirante Domino) condiderunt, &c. Multa ſunt, quæ dici in hanc rem poterant, quæ ab alijs fuſius digeſta ſunt. Tabularum inſcriptiones huc inferre libuit, quas cementarij anno ſalutis quingenteſimo unde trigeſimo ſupra milleſimum effoderunt Lugduni. Prior tabula ærea ſic habet:

*Hirenæi. Georgij. Eulaliæ.*

*Iuſti cœnobium.*

*Crucis.*

*Petri.*

*Pons Araris à quo conditus.*

*Childebertus xenodochia poſuit ex Synodo Aurelia.*

*Tabulæ æreæ inuentæ Lugduni anno 1529.*

AE I IRVM NOSI, II Equidem primam omnium illam cogitationem, quam maximæ primam

occurſurã mihi prouideo, deprecor, ne quaſi nouam iſtam rem introduci inhorreſcatis: ſed illa potius cogitetis, quã multa in hac ciuitate nouata ſint, & quidem ſtatim ab origine urbis noſtræ in quot formas, ſtatusq́ Reſpublica noſtra deducta ſit. Quondam reges hanc tenuere urbem: nec tamen domeſticis ſuccesſoribus eam tradere contigit: ſuperuenere alieni, & quidem externi: ut Numa Romulo ſucceſsit, ex Sabinis ueniens uicinis quidem, ſed externis: ut Anco Martio Priſcus Tarquinius: propter temeratum ſanguinem, quòd patre Demaratho Zynthio natus erat Tarquinẽſi matre generoſa, ſed inopi, ut quæ tali marito neceſſe habuerit ſuccumbere, cùm domi repelleretur â gerendis honoribus. Poſtquã Romam migrauit, regnum adeptus eſt. Huic quoq́, & filio, nepoti'ue eius (nam & hoc inter authores diſcrepat) inſertus Seruius Tullius, ſi noſtros ſequimur, captiua natus Ocreſia: ſi Thuſchos, Cælij quondam ſodalis fideliſsimus, qui poſt omnes caſus, atque fortunæ iniurias exactus, cum omnibus reliquijs Cæliani exercitus Hetruria exceſsit, montem Cælium occupauit, & â duce Cælio ita appellatus, mutatoq́ nomine (nam Tuſco Maſtarda ei nomen erat) ita appellatus eſt, ut diximus, & regnũ ſumma cum Reipublicæ utilitate obtinuit. Deinde poſtquã Tarquinij ſuperbi mores inuiſi ciuitati noſtræ eſſe cœperunt, quà ipſius, quà illorum, ei ſanè pertæſum eſt regni, & ad cõſules annuos magiſtratus adminiſtratio Reipublicæ translata eſt. Quid nũc commemorem

rem Dictaturas? Hoc ipſo Conſulari Imperium ualentius repertum apud maiores noſtros: quoniam ſuperioribus bellis, aut in ciuili motu, difficiliore uterentur, aut in exilium plebis iuratis Tribunis Plebis. Quid à Conſulibus ad Decemuiros translatum Imperium: ſolutoq́ poſteà decemuirali regno, ad Conſules rurſus reditum? Quid item uiris diſtributum Cõſulare Imperium: Tribunoſq́ Conſulari Imperio appellatos, qui ſeni, ſæpe octoni crearentur? Quid communicatos non ſolùm honores imperij, ſed ſacerdotiorum quoq́? Iam ſi narrẽ bella, quibus cœperint maiores noſtri, & quo proceſſerimus, uereor, ne nimio inſolentior eſſe uidear, & quæſiſſe iactationẽ gloriæ prolati imperij, ultra oceanum. Sed illac potius reuertar in ciuitatem. Poſterior Tabula Aerea Vono Diuus Aug. Ncius, & Patruus Ti. Cæſar omnem florem ubique Coloniarum, & municipiorum, bonorum, & locupletum in hac curia eſſe uoluit. Quid ergo? Num Italicus Senator prouinciali potior? Iam uobiſcum hanc partẽ cenſuræ meæ approbare cœpero: quid de ea re ſentiã, uobis oſtendam: ſed ne prouinciales quidem, ſi modò ornare curiam poterunt, reijciẽdos puto. Ornatiſſima ecce Colonia, libentiſſimaq́ Viennẽſium, quàm longo iam tempore Senatores huic curiæ confert! Ex qua Colonia inter paucos equeſtris ordinis ornamentum L. Veſtinum familiariſſimè diligo, hodie'que in rebus meis detineo: cuius liberi fruantur quæſo primo ſacerdotiorum gradu, poſteà cum annis promoturi

*Poſterior Tabula.*

*Flos Coloniarum, & municipiorũ in Senatũ allectus.*

*Viennenſes in curiam allecti.*

dignitatis ſuæ incrementa, ut dirum nomen Latro-
nis taceam, & odi illud palæſtricũ prodigium, quod
ante in domum Conſulatum intulit, quàm Colonia
ſua ſolidum ciuitatis Romanæ beneficium conſecu-
ta eſt. Idem de fratre eius poſſum dicere miſerabili
quidem, indigniſsimoq; hoc caſu, ut uobis utilis Se-
nator eſſe non poſsit. Tempus eſt iam Ti. Cæſar
Germanicæ detegere te patribus conſcriptis, quò
tendat oratio tua: iam enim ad extremos fines Gal-
liæ Narbonenſis ueniſti: tot ecce inſignes iuuenes
intueor. Non magis ſunt pœnitẽdi Senatores: quàm
pœnitet Perſicum nobiliſsimum uirum amicum
meum inter imagines maiorum ſuorum Allobrogi-
ci nomen legere. Quòd ſi hæc ita eſſe conſentitis,
quid ultra deſideratis, quàm ut uobis digito demon-
ſtrem, ſolum ipſum ultra fines Prouinciæ Narbo-
nenſis, iam uobis Senatores mittere, quando ex Lu-
gduno habere non pœnitet. Longè quidem. P. C.
egreſſus adſuetos familiares uobis Prouinciarum
terminos ſum. Sed diſtrictè iam Comatæ Galliæ
cauſa agenda eſt: in qua ſi quis hoc intuetur, quòd
bello per decem annos exercuerunt diuum Iulium,
idem opponat cẽtum annorum immobilem fidem,
obſequium'que, trepidis rebus noſtris, pluſquam
expertum. Illi patri meo Druſo Germaniam ſubi-
genti tutam quiete ſua, ſecuram'que à tergo pacem
præſtiterunt: & quidem quum ad cenſus nouo tum
opere, & inſueto Gallis ad bellum aduocatus eſ-
ſet. Quod opus quàm arduum ſit nobis, nunc
quum

*Lugdunẽſes Senatores Romæ.*

*Immobilis Gallorum fides.*

quum maximè, quàmuis nihil ultrà, quàm ut publicæ notæ ſint facultates noſtrę, exquiratur, nimis magno experimento cognoſcimus. Hæc in Tabulis illis æneis. Quæ uerò ſubijcimus, in Saxis habentur Lugduni.

## *Inſcriptiones Antiquæ.*

L. Tauricio Florentij. Taurici filio Veneto allectori Gall. patron. Nantar Araricorum, & Ligericorum. Item Arecairorum, & Condeatium I I. Prouinciæ Galliæ. Caluiſſe Vr. & memoriæ ſanctiſſimæ. P. Pomponius D. Gemellus. L. I I I I. L. Vir augur. Lugdu. coniugi chariſsimæ, & incomparabili poſuit.

D. M. Et memoriæ Seueriæ L. Rollio de ſe bene merenti poſuit, & ſub aſcia dedicauit.

Sex. Iulio Thermiano, & Senonio D.

D. M. Memmiæ Iulianæ.

M. Statius Aeſchinus. V. F. H. M. H. N. S.

D. M. Et memoriæ æternæ Solcum. Fid. milit. Leg. Mineruæ Imaginifero.

Maturinia Victorina coniugi Chariſsimo ponendum curauit, & ſub aſcia dedicauit.

D. Sex. Caſſutio. Sex. Fil. Quirino primo emerito ex cohort. X I I I. urbis. T. Silius hoſpes ſignifer cohortis eiuſdem amico poſuit. M.

D.M.M.P.Iuſtini Marcelli infantis dulciſsimi, qui uixit annum unum, dies quadraginta ſeptẽ. M. Iuſtinus, Secundinus,& primaria Marcellina. Pa- tres amiſsione eius orbati.P.C.& S.aſc.DD.C.

Bonæ memoriæ,& ſpei æternæ ſpiritu quoq; in- comparabili Peligiæ Mimiæ fœminæ rariſsimæ ca ſtitatis exempli affectionis plenæ erga omnes ho- mines Iulius Primitius Dec.CCC.augur Lugdun. coniugi incomparabili,quæ uixit annos xxxi.menſ. v.dies quatuor,ſine ulla querela,ſibiq; unius fecit, & ſub aſcia dedicauit.

Sex.Iulio A. Meomiano I I. Senonio D. Sexto Iulio Sextiliano D. Memoriæ Ciuilia Lexionis ui- tuli,ſiue Alexandri, qui uixit annis ſex,menſe uno, diebus undecim, Ciuilius Caricus patronus, & ali- mno dulciſſ.& ſub aſc.ded.M.

Sex.Ligurius,Sex. Fil.Galeriamarinus ſummus Curator C.R.Prouinciæ Lug. Q. I I. Vir. A.L.B. ornamentis,Suffrag.Sanct. ordinis Honoratus I I. Vir.Deſignatus ex poſtul. populi ob honorem per- petim Pontifici dati.Cuius doni dedicatione.

Decurionibus V.ordini equeſtri.L I I I I. L.uiris aug.negociatoribus, uinarijs I I I. & omnib.corpo- rib. Lugd. licitè coëuntibus. Idem Ludos circenſes dedit. L. D.D.D. Lu. Helino. L.filio Volt. Frugi curatori nautarum bis I I. Vir. Viennenſium patro- no Rhod.& araricor.

Tib.Pompeio,Pompeius Tib fil.Priſco Cadur- co omnib.honorib.apud ſuos funct. Tribu.Leg. V. Macedo

Macedonicæ Iudici arce Galliarum I I I. Prouinc. Gall.

Q. Tullio Seuerino Sequano omnib. honorib. inter ſuos functo patrono. Splendidiſsimi Corporis. N. Rhodanicor, & Arar. Cui ob Innocẽ. morum ordo ciuitatis ſuę bis ſtatuas decreuit inquiſitori Galliarum tres Prouinciæ Galliæ.

Ioui. O. M. Q. Ademinus Vibici Fil. Martinus Seq. Sacerdos Romæ, & augur ad aram ad confluẽtes Araris, & Rhodani fluuij I I. Vir in ciuitate Sequanorum. Hæc in uetuſtiſsimis Saxis Lugduni. *Sacerdos ad aram Lugd.*

Appetere locus uidetur, ut nõnihil de Flauia Heduorum adijciamus, quæ & Hedua ab Hedorum augurio, qui in aëre uiſi feruntur infeſtis ceruicibus concurrentes. Huius conditorẽ, qui altius repetunt, Samothem uolunt: ut ſolent aut ad Deos, aut ad primos illos recentis plaſticæ homines ſua initia ciuitates referre. Dicta eſt & Auguſtudunum: de cuius nominis origine uaria eſt ſcriptorum ſententia. Dum ab Auguſto (quod uero propius eſt) aut ab Auge Apollinis uxore trahunt. Hæc rudibus adhuc mundi initijs omnium, quas urbis continet, longè ampliſſima, ac populoſiſsima fuit. Ac diu in Gallia rerum potita eſt, ac populo Romano fœderata: quod in deſcriptione Galliæ Lugdunenſis docet Plinius. Hedui fœderati (inquit) Cauratani fœderati, Boij, Senones, &c. Hi autem inter Ararim, et Ligerim noui, ut ſcripſit Strabo, inter Dubidem, & Ararim fuerũt. Magiſtratum habuerunt Vergobretum: qui annis *Auguſtudunum olim dictum Flauia Heduorum.* *Vrbes initia ad Deos referunt.* *Vergobretus.*

Q. ſingu

ſingulis deſignabatur. Vulgus hodie antiqui nominis ueſtigia retinens Vierg appellat. Cæterùm Heduos fratres fuiſſe pop. Romani honorificè appellatos Cæſar, Cicero, atque alij ſcriptum reliquerunt. Quod fuiſſe cum primis honorificum comprobant Aruerni, qui diu cum Heduis de appellatione huiuſmodi decertarunt.

*Fratres Populi Roma.*

*Contēdebāt cum Heduis Aruerni, utri fratres Roma. dicerentur.*

Lucanus:

*Aruerni Latios auſi ſe fingere fratres.*

Cùm tamen in Galliam Cæſar ueniſſet, ueriti Hedui, ne liberam ciuitatem Gallis omnibus profligatis, Cæſar redigeret in ſeruitutem, ac è manibus rerum Gallicarum imperium extorqueret, coitione omnium Gallorum facta decreuerunt Cæſari obſiſtendum eſſe, tum reliquas Galliæ ciuitates ad rebellionem iam ſpectantes ſibi adiungunt: quorundam tamen nobilium in patriam perfidia'ne magis, an animi ſocordia fœdum exitum habuit conſpiratio Heduorum, quam urbis conſecutum eſt excidiū. De hoc prolixè apud Cæſarē. Hanc Auguſtudunenſium calamitatem uiſus eſt Liſcus Heduus apud Cæſarem ueluti fatorum conſcius præciniſſe, qui in hæc uerba Cæſarem alloquitur. Neque dubitare debent Hedui, quin ſi Heluetios ſuperauerint Romani, unà cum reliqua Gallia, Heduis libertatem ſint erepturi. Proditum eſt memoriæ illic Druydum partem habitaſſe, idq; in monte Iouis, ubi uſque in hanc diem familia illuſtris eſt Montijouiorum; mons etenim

*Coitio Heduorum aduerſus Cæſarem.*

*Liſcus Heduus.*

*Druydes Heduorum*

*Mons Iouis.*

*Familia Mōtijouiorum.*

ad occidentem editiſsimus, mille ab urbe paſsibus diſtat: qui & mons Druydum Gallicorum creditur. Delubri locus, in quo Ioui, matri Deûm, ac Mercurio Phrygio ritu ſacra faciebant. Quorum Cæſar ſexto libro Gallici belli, ritum pluribus attingit. Illi (inquit) rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica, & priuata procurant, religiones interpretantur, ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magno'que hi ſunt apud Heduos honore, de publicis, priuatis'que controuerſijs cognoſcunt, & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hæreditate, finibus'ue controuerſia eſt, ijdem diſcernunt, præmia, pœnas'que conſtituunt. Si quis autem publicus, aut priuatus eorum decreto non paruerit, ſacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt grauiſsima, quibus ita eſt interdictum. Hi uerò, qui interdicti fuerant, numero impiorum, ac ſceleratorum habebantur. His autem decedunt, aditum ſermonem'que defugiunt, ne quid ex contagione accipiant incommodi: neque his petentibus ius redditur, neque honos ullus communicatur. Hæc Cæſar. Hos Druydas ſuſtulit Tiberius Cæſar principatus anno ſeptimo, uel Plinio teſte, qui libro trigeſimo, capite primo in hæc uerba ſcripſit. N. Cornelio Lentulo, P. Licinio Conſſ. Senatuſconſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palam'que in tempus ſiluit ſacri prodigioſi celebratio. Gallias utique poſſedit, & quidem ad noſtram memoriam: nanque Tiberij Cæſaris principatus ſuſtulit Druydas

*Druydum ritus.*

*Druydum ſcholæ.*

*Druydum poteſtas.*

*Grauiſsima pœna apud Druyd.*

*Anathemati pœna ſimilis.*

*Druydas Tiberius ſuſtulit.*

*Plinius.*

*Druydes homine immolabant.*

eorum: & hoc genus uatum, medicorumq́. De quorum ſacris idem Plinius libro decimoſexto, capite

*De ſacris Druyd.*

ultimo hæc prodidit. Non eſt omittenda in ea re Galliarũ admiratio. Nihil habent Druydes (ita ſuos

*De Viſco Druyd. & legendi ratione.*

appellat magos) uiſco, & arbore, in qua gignatur (ſi modò ſit robur) ſacratius. Iam per ſe roborum eligũt lucos: nec ulla ſacra, ſine ea fronde conficiunt: ut inde appellari quoq; interpretatione Grȩca poſsint druydes: δρῦς enim quercum ſignificat, unde δρυίδαι. Priſci tamen Græci omne genus arboris δρυὸς appellatione intelligebant: nam Poëta δρῦν οἰνοχίτωνα uitem appellauit. Enimuero, quicquid adnaſcatur illis, è cœlo miſſum putant, ſignum'que eſſe electæ ab ipſo Deo arboris. Eſt autem id rarum admodum inuentu: & repertum magna religione petitur. Et ante o-

*Sexta Luna annorum, et menſium initium apud Druy. fuit. Omnia ſanãtem Sextam lunã uocant.*

mnia ſexta luna, quæ principia mẽſium, annorumq́ his facit, & ſeculi poſt triceſimum annum: quia iam uirium abunde habeat, nec ſit ſui dimidia. Omnia ſanantem appellantes ſuo uocabulo, ſacrificio, epuliſq́ rite ſub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris tauros: quorum cornua tũc primùm uinciantur. Sacerdos candida ueſte cultus, arborem ſcandit,

*Falce aurea uiſcũ Druy. metebant.*

falce aurea demetit: candido id excipitur ſago. Tum demum uictimas immolant: precantes, ut ſuum donum Deus proſperum faciat his, quibus dederit.

*Viſci fœcunditas, et medicina.*

Fœcunditatem eo pacto dari cuicunq; animali ſterili arbitrantur: contraq́ uenena omnia eſſe remedio. Tanta gentium in rebus friuolis plerũq; religio eſt.

*Oua magica Druydũ ex Plinio.*

Fuit & his ouorum magicorum genus quoddam, ad

ad regum, & litium uictorias inſigne: cuius Plinius in hunc propè modum commeminit. Præterea eſt ouorum genus in magna Gallorum fama omiſſum à Gręcis. Angues innumeri æſtate conuoluti, ſaliuis faucium, corporumque ſpumis artifici complexu glomerantur: anguinum appellatur. Deinde id dicunt ſibilis in ſublime iactari: ſagoque oportere intercipi, ne tellurem attingat, profugere raptorem equo: ſerpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicuius interuentu. Experimentum eius eſſe, ſi contra aquas fluitet, uel auro cinctum. At (ut eſt magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax) certa Luna capiendum cenſent, tanquam conſtruere operationem eam ſerpẽtium, humani ſit arbitrij. Vidi equidẽ id ouum mali orbiculati modici magnitudine: cruſta cartilaginis uelut acetabulis brachiorum Polypi crebris inſigne. Druydes ad uictorias litium, ac regum maximè laudant: tantæ uanitatis, ut habentem id in lite in ſinu equitem Romanum à diuo Claudio principe interemptum non ob aliud ſciam. Hic tamen complexus anguium, & efferatorum concordia, cauſa uidetur eſſe, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumẽtis circundata effigie anguium fecerint. Neque enim criſtas eſſe in caduceo mos eſt. Præterea ſacra illa erant immaniſsima, quibus partim in Carnutibus (quæ regio eſt totius Galliæ media) id'que certo (ut Cæſar ait) tempore litabant. Partim uerò in ciuitatis huius ſuburbio. Rurſus ad ſeptentrionalẽ aſpectum, non procul à fluentis Aroti phanum Proſer-

*Oua ſerpentũ anguima.*

*Ouum contra aquas fluitans.*

*Eques Romanus à Diuo Claudio Cæſa. interemptus, propter anguinum ouum.*

*Efferatorũ cõcordia angues in ſceptris.*

*Druydes apud Cãrnutes.*

*Arotus fluuius.*

pinæ, & Plutonis uiſebatur, ubi Augures, Arioli, Aruſpices, Genethliaci, de futuris pronuntiabant: atque illic fuiſſe Bardos, quos Poëticis rebus Panægyricis pangendis incubuiſſe aiunt. Cuius fani adhuc uetuſta quædam turris extare dicitur ad urbis portam uulgò Genethoyez. In urbe inſuper media fuiſſe Martis templum contendunt. Tum etiam in plaga, quæ ad orientem pertinet, collis eſt Philoſia: in quo cupidinis ædem ſtruxerant Hedui, nec ab eo procul erant ſpeluncæ, & fornices Veneris, ſcortorum diuerſoria. In eo confinio in uepreto eſt Cucubarrus, locus uocatus à cucullo eburneo (ſi fides habenda recentioribus) qui illic impudenti Deo impudentiſsima uictima cædebatur. Eſt enim auis adulterijs, lenocinijsq; infamis. Viſuntur & magnæ ruinæ theatri, eo loci, ubi ſacra olei ſcaturigo fuit, ad murorum antiquorum fundamenta, ubi fons limpidiſsimus. In ſuperiori etiã urbis parte erat Capitolium: cuius tantùm reſtat nomen, ut omnia in interitum prolabuntur: niſi ſuſpicari libet, deſtinatum noxis capitalibus luendis locum. Deinde uia fraxinia erat Apollinis templum, quod haud abſurdè in editiſsima urbis parte exædificatum cẽſeatur: nempe quòd arcem, acropolim'que ingenij Apollo teneat. Caninus præterea Vicus, in quo Anubis ſimulachrum, Canino capite celebratur, ad occidentalem plagam, ubi conuicti furti Anubi mactabantur. Erat rurſus Rochi Dei delubrum. Hunc in Deorum albo non agnoſcunt Poëtæ. Cuius auſpicijs ab Heduis

*Bardi uatum genus.* *Genethoyes* *Philoſia.* *Cucubarrus à Cucullo eburneo.* *Ruinæ theatri.* *Sacra olei ſcaturigo.* *Capitolium* *Templum Apollinis.* *Caninus Vicus.* *Anubis.* *Conuicti furti.* *Rochus deus Gallicus.*

duis permulta gerebantur. Porrò ſunt ruinæ ſtatuarum, columnarũ, aquæductuum, Pyramidum, theatrorum, arcuum, atque alia innumera uetuſtatis opera. Effodiuntur inſuper in annos propè ſingulos, antiquorum numiſmatum uaſcula auri, atque argenti, cuiuſmodi quamplurima Mangarius meus doctiſſimus apud Heduos ſuperioribus annis corraſit. Ea hodie ciuitas ſuperbis undique templis coruſcat. Quorum maximum eſt Nazarij epiſcoporum ſedes, deinde Lazari, Chriſti amici. Cuius ſacros cineres illic in argenteis forulis eſſe fama percrebruit. Diuæ Mariæ uirginis matris templum, Rollinorum opus (id familiæ inclitæ nomen) Xenodochia duo, ualetudinarium unum, aræ publicæ decem, Sacrum Franciſcanorum collegium, Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo, quadringenteſimo octogeſimo conditum à Gulielmo Villorio equite inſigni. Monaſtica etiam collegia quatuor. Ex his bina, ſacris uirginibus deſtinata, Andochij, & Ioannis cognomento magni: illud à Carolo magno conditum, ſedente, ac paſtorem agente, Ionatha epiſcopo: hoc uerò à Gulielmo Cabillonenſi, Auraſienſium principe. Martini autem cœnobium, Brunechildis reginæ Francorum antiquo opificio, & priſcæ artis, opus magnificentiſſimè excitatum, Diuo Gregorio Pontifice Maximo, multis immunitatibus, dotibus'que mirè auctum in gratiam Principis fœminæ. Scribit enim. Inter alia bona, hoc apud uos præ cæteris (quod ſanè quidem collaudandum eſt).

*Vaſcula numiſmatũ antiquorum.*

*Rollinorum familia.*

*D. Gregorij uerba.*

tenet principatum, quòd in medijs huius mundi fluctibus, qui regentis animos turbulenta ſolent uexatione confundere, ita cor ad diuini cultus amorem, et uenerabilium locorum diſponendam quietem reducitis, ac ſi uos nulla alia cura ſollicitet. Vnde, quia huiuſmodi propoſitorum actio ſubiectorum, magna ſolet eſſe munitio, plus alijs gentibus gentem Francorum aſſerimus felicē: quæ ſic bonis omnibus præditam meruit habere reginam. Epiſtolis autem ueſtris indicantibus, agnoſcentes, eccleſiam uos ſancti Martini in ſuburbio Auguſtudunenſi, atque monaſterium ancillarum Dei, necnon & Xenodochium in urbe eadem conſtruxiſſe, ualde lætati ſumus, & gratias omnipotenti Deo retulimus. Qui cordis ueſtri ſinceritatem ad hæc operandũ compunxit. Qua de re, ut & nos bonis ueſtris in aliquo participes haberemur, priuilegia locis ipſis, pro quiete illic degētium, ſicut uoluiſtis, indulſimus. Illic fama tenet Martinum Turonenſem Deorum gētium templum iam olim deieciſſe, ruinamq́ precibus conſciuiſſe. Tantam uerò monachorum turbam in hoc cœnobium intruſit Brunechildis, ut per aliquot ſecula ordo Brunechildis appellaretur. Huic primũ Gregorius Lupum, uirum ſanctimonia ſpectabilē, cœnobiarcham præfecit. In eo ſepulta eſt Brunechildis. Tametſi alij tradant, hanc caudæ ferocis equi, ob ueneficia, reuinctam, ſubſultāte equo diſcerptam. Fieri potuit, ut lacerum cadauer illò inferretur, ac urna conderetur. Cæterùm Vandalis Galliam incurſantibus, fertur

*Brunechildis Regina Martini cōdidit cœnobiũ, atq; alia quędam Auguſtuduni.*

*Ordo Brunechildis.*

*Brunechildis ſepulch.*

euerſum

euerſum funditus cœnobium, monachos'que in exilium actos, ſicq́; cuncta obruta iacuiſſe, ad Caroli calui regis uſq; tempora. Quibus princeps quidam Badillo nouis inſtructis Cellis monaſticis exornauit, innouauitq́;, quicquid temporum iniuria deperierat. Deinde in ſpecioſam formam educto monaſterio, ſe piæ ſolitudini addixit, undique contractis eius inſtituti profeſſoribus, Anno domini milleſimo trecenteſimo quingenteſimo octauo, Synodo apud Heduos habita à Ioanne Pontifice Maximo, rege Ludouico Calui filio, Badillonis inſtitutum approbantibus. Poſtremò ſubit cœtus canonicorum Auguſtini. Id genus eſt medium quoddam inter eos, qui monaſticam macerationem ex profeſſo ſectantur, & eos, qui liberè, legibusq́; prorſus ſoluti uiuunt. Hi ad Symphoriani habent (hic Fauſto patre, matre Auguſta, genitus, ex Heduorum nobilitate fuit, Benignoq́;, ac Andochio, uiris ſanctis religionis præceptoribus uſus eſt, quos Aurelianus atroci affecit ſupplicio) quorum reliquiæ illic à poſteris uenerantur. Eſt etiam Rachonis, pridem urbis epiſcopi monaſticum ſeptum, miræq́; magnitudinis ſepulchretum, ibiq́; Polyandrion: cuius Gregorius Turonenſium epiſcopus meminit. Symphoriani ædis autor fuit Eufronius et ipſe epiſcopus. Huius ciuitatis duo memorabilia meminimus excidia: prius bello Gallico Cæſare Duce: poſterius circa Gallieni tempora. Quam tamen poſteà inſtauratam opera Conſtantini Claudij filij, indicat rhetor Gallus ad eundem Conſtantinum, uo

*Badillo princeps.*

*D. Symphorianus martyr Heduus temporibus Aureliani Imper.*

*Polyandriō Heduorum.*

*Duo Heduorum excidia memorabilia.*

*Bello Gallico duce Cæſare.*

*Gallieno imperante.*

*Conſtātinus*

Claudij fil. urbē inſtaurauit: à quo dicta eſt Flauia Heduo.

catamq; Flauiam Heduorum, à gente Flauia. Ciuitatem hanc ſic pingit. Si Flauia Heduorum ſacer Imperator commouere ſe funditus, atq; huc uenire potuiſſet, tota profectò corã de tuis in ſe maximis, pulcherrimisq; beneficijs una uoce loqueretur, tibiq; reſtitutori ſuo, imò, ut uerius fatear, conditori, in eã potiſsimùm ciuitate gratias ageret: cuius cauſam ſimilem facere cœpiſti. Sed quoniam non poteſt, geſtit: quæ natura nõ patitur, clamoresq; ſuos, quibus quotidie laudes tuas tollit in cœlum: qui exaudiri à te nõ poſſunt: tamen interiecta longinquitate, id quod fieri decebat, gaudiorum patriæ meæ nuntium ſponte ſuſcepi, ut eſſem iam nõ priuati ſtudij literarum, ſed publicæ gratulationis orator. Hactenus ille. Id autẽ temporis obſidionem arctiſsimam pertulit Flauia: quod idem cõmemorat: qui fame, ac rerum omnium penuria domiti, Claudijq; Cæſaris auxilium nequicquam implorantes, à Barbaris ad deditionem adacti ſunt. Burgundionicam hanc impreſsionem fuiſſe, nihil eſt, quod ambigamus. Eam ſic Panęgyriſtes eloquitur. Attende quæſo, quanti ſit (Imperator) quod diuum Claudium parentem tuum ad occupandas Gallias primi ſollicitauerunt, expectantes que eius auxilium, ſeptem menſibus clauſi, & omnia inopiæ miſeranda perpeſsi, tum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, cùm feſsi obſeruare non poſſent. Quòd ſi nobis, & conatibus Heduorum fortuna fauiſſet, atque ille Reipublicæ reſtitutor implorantibus nobis ſubuenire potuiſſet,

ſine

ſine ullo detrimento Romanarum uirium, ſine clade, compendium pacis reconciliatis Prouincijs attuliſſet fraternitas Heduorum. Ob hæc igitur merita, & priſca D. pater tuus, ciuitatem Heduorum uoluit iacentem erigere, perditam'que recreare, non ſolùm pecunijs ad calendaria largiendis: & lauachris, quæ corruerant, extruendis, ſed & methicis undique transferendis, ut illa eſſet ciuitas Prouinciarum uelut una mater, quæ reliquas urbes quodammodo Romanas prima feciſſet. Quid ergo (inquit) de cæteris ciuitatibus regionis illius dicam? Quibus illachrymaſſe tute ipſe confeſſus es: uidiſti enim, non ut per agros aliarum urbium omnia ferè culta, aperta, florentia, uias faciles, nauigera flumina ipſas oppidorum portas alluentia. Sed ſtatim ab eo flexu, è quo retrorſum uia ducit in Belgicam, uaſta omnia, inculta, ſquallentia, muta, tenebroſa, ut militaris uia ſit confragoſa, & alternis montibus ardua, ac præceps, ut uix ſemiplena carpenta, interdum uacua tranſmittant: ex quo ſæpe accidit, ut obſequia noſtra tarda ſint, cùm paruarum frugum nobis difficilior ſit euectio, quàm cæteris plurimarum. Quò magis, Imperator, pietati tuæ gratias agimus: qui cùm ſcires itinerum, regionum noſtrarum tam fœdum aſpectum, atque aſperum, tamen illò deflectere, & urbem illam ſola opis tuæ expectatione uiuentem illuſtrare dignatus es. Boni principis eſt, ſuos libenter uidere (neq; id certè illi minus antiquum eſſe debet, quàm principatu ipſo potiri)

*Lauachra inſtaurauit Claudij C. Conſtantini pater.*

*Heduorum ciuitas prouinciarum mater.*

*Conſtãtinus Auguſtudunenit.*

*Boni principis officium.*

ſed melioris inuiſere laborãtes. Attende quæſo, quid Panægyriſtes de Conſtantini in Heduos liberalitate ſubijciat. In quo tamen, Imperator, ſi conſilium amici callidioris admitteres, eſſet fortaſſe, quod reprehenderetur, nimium te ſcilicet facilem, ea, quæ ſis tributurus, aperire: & ſine ullo artificio ſtatim promere, quæ ſperari diu debeant: neſcis tua commendare beneficia, præſtandi celeritate, occupas tempus optandi. Sed enim indulgentiæ celeritate uiciſti iſta elementa, quibus animam uiuimus. Diu uenturi hominis apparatus optatur, diu uagitus inconditi, loquutura differunt uocem, diu fruges hyems cohibet, uer elicit, æſtas florem ſolidat, calor maturat. Tu meritorum nobis pariter uitam dediſti totã. Tu fructus meritorum tuorum ſtatim nos metere, in conditis referre, iuſsiſti releuaturus cenſum, definiuiſti numerum: reliqua debita remiſſurus, quãtum deberemus, interrogaſti: quæ interrogatio manifeſta promiſsio fuit: nam is, qui omnia poteſt, quid ſibi debeatur, interrogat, non curioſè percunctatur, ut ſciat: ſed liberaliter cupit audire, quantum remittat. Septem millia capitum remiſiſti: quartam amplius noſtrorum cenſuum partem. Et tamen utrum ſufficeret, hoc nobis requiſiuiſti ſæpius: quos utrum uerecundos dicam nimium, an ſatis gratos, qui hæſimus, indulgentiæ tuæ amplè fluenti modum fecimus: plus adhuc præſtare cupiebas, ſi auſi fuiſſemus expoſcere. Hæc Heduus ille orator. Complures uerò in Italia urbes, Gallos condidiſſe, ne ipſi quidem Itali rerum Galli-

*Conſtantini liberalitas.*

*Septem millia capitum cenſus remiſit Conſtanti. Heduis.*



carum

carum alioqui maligni æſtimatores inficiantur. Mediolanum enim Liuius acceptũ Heduis refert. Laudem Pompeïam Boij, qui cũ Belloueſo Alpes tranſiere, ædificarunt. Trogus opus Gallicum eſſe Nouocomum contendit. Iuſtinus à Cenomanis Gallis conditam Brixiam aſſerit: ij duce Brenno in Italiam profecti ſunt. Idem narrant de Tridẽto, & Verona. Sunt etiam, qui & Venetias à Gallis Venetis, qui in Armoricis habitant, fuiſſe conditas ſcribant. Senogallia, Vincentiaq́; Senones Gallos, Bormanicum uerò agri Nouarienſis oppidũ Narbonenſes agnoſcunt. Hoc adiectum uolui, ne quis miretur Mediolanum urbem ampliſsimam Heduorum eſſe, legitimam'q; Francorum (licet alia ratione) hæreditatem.

*Liuius. Hedui Mediolanũ condidere. Boij Laudã Pompeïam. Vrbes à Gallis in Italia conditæ. Nouocomũ. Brixia. Tridentum. Verona. Venetiæ. Senogallia. Vincentia. Bormanicũ.*

Secundum Auguſtudunum, clariſsima olim fuit Mandubiorum Alexia: cuius hodie uix rudera extãt, adeò omnia ſuo quodam occaſu intereunt. Hanc Cæſar belli Gallici ſeptimo libro, paucis ſcitè depingit: et ueluti ob oculos ſubijcit. Altero (inquit) die ad Alexiam caſtra fecit, perſpecto urbis ſitu, perterritis'que hoſtibus, quòd equitatus, qua maxima parte exercitui confidebant, erat pulſus: adhortatus ad laborem milites, Alexiam circũuallare inſtituit. Ipſum erat oppidum in colle ſummo, admodum edito, ut niſi obſidione expugnari non poſſe uideretur: cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina ſubluebant. Ante id oppidum planicies, circiter millia paſſuum tria, in longitudinem patebat. Reliquis ex omnibus partibus colles, mediocri interiecto ſpacio

*Alexia Mandubiorum. Hodie non extat Alexia. Alexiæ deſcriptio ex Cæſare.*

pari altitudine, faſtigio oppidum cingebant. Sub muro, quæ pars collis ad orientem ſpectabat, hunc omnem locum copiæ Gallorum compleuerant, foſſamq́ꝫ, & maceriam, ſex in altitudinem pedum produxerant. Hactenus Cæſar. Noſtra uerò ætate, in ea regione eſt Semurium oppidum, non inelegans loco edito. Non tamen, quo olim Alexia, ſitum eſt loco: cuius alibi nominis tantùm umbra reſtat Alize. Ad Alexiam omnes Gallorum uires conciderunt, in cuius propugnationẽ obſtinatis animis Galliæ coniurarunt: quæ coniuratio ab Heduis (penes quos Galliæ principatus erat) cœpit. Collatis igitur Galloru͂ uiribus ſcriptus eſt bellatoru͂ numerus 24000. Qua porrò ratione in hanc cladem coierint ex diſsitis Galliarum tractibus, facile ex hac tabula cognitu fuerit: quot, ex quibus regionibus cõuenerint ad Alexiam aduerſus Cæſarem milites: qua pugna Gallicum bellum profligatum eſt.

*Semurium oppidum.*

*Alize olim Alexiam.*

*Gallorum uires ad Alexiam concidere.*

*Galliarum coniuratio aduerſus Cæſarem.*

*24000 bellatores in Cæſarem.*

70000 {

Hedui 35000 cum ſuis clientibus: quos hoc loco ponit Cæſar.

Aruerni 35000 cum ſuis item clientibus, {

Seguſianis.
Ambruaretis.
Aulercis.
Brannouicibus
Brannonijs.
Heleutetis.
Cadurcis.
Gaballis.
Vellauijs.

Senones

| | | |
|---|---|---|
| 22000 | Senones | |
| | Sequani | |
| | Bituriges | |
| | Santones | |
| | Rutheni | |
| | Carnutes | |

Bellouaci 10000. Quæ his imperata erant: ſed duo duntaxat miſerunt, Lemouices 1000.

| | | |
|---|---|---|
| 32000 | Pictones | 8000 |
| | Turones | |
| | Pariſij | |
| | Heluetij | |

| | | |
|---|---|---|
| 40000 | Sueſsiones | 5000 |
| | Ambiani | |
| | Mediomatrici | |
| | Petrocorij | |
| | Neruij | |
| | Morini | |
| | Nitiobriges | |
| | Aulerci Ceno. | |

Aulerci Cenomani unus populus, non duo, ſicut paulò pôſt Aulerci Eburones.

| | | |
|---|---|---|
| 13000 | Atrebates | 4000 |
| | Bellocaſſes | 3000 |
| | Lexouij | 3000 |
| | Aulerci Eburo. | 3000 |

4000 { Rauraci 2000 / Boij 2000 }

Paruæ hæ erant ciuitates, & nuper bello Heluetico attritæ. Igitur his 30000. codices quidam tribuunt.

4000 { Curioſolites / Rhedones / Ambibarij / Cadetes / Oſiſsini / Lemouices / Vuelli. }

*Annus uictæ Galliæ.* Deinde uerò uictæ Galliæ, & profligati ad Aleſiam Gallici exercitus, fuit annus ab urbe condita 703. Conſulibus Seruio Sulpitio Ruffo, & M. Claudio Marcello. Cæſar enim citerioris, ac ulterioris *Victa Gallia à Cæſare ante Chriſtum natum annis 55.* Galliæ prætor factus eſt anno ab eadem cõdita 696. ante Chriſtum natum 55. annis. L. Piſone, Aulo Gabinio Conſſ. Ea Mandubiorum regio denſis admodum ſaltibus impedita inſidiarum opportunitatem noſtris præbere uidebatur: unde illic rebellandi conſilium natũ credibile ſit. Regio (inquã) ferinæ, quàm frugum longè fertilior, raris uitibus, nec ita generoſis conſita eſt, arcibus propè inexpugnabilibus frequens: inter quas Rupefortis familiæ inclytæ domicilium: ex qua olim Francorum rex Ludouicus Craſſus uxorẽ duxit, Guidonis illuſtris toparchi filiam: cuius nomen magnis clientelis, opibusꝗ ſubnixum eſſe oportuit, ac tantæ maieſtatis, ut illinc Regum

Chriſtiani

Chriſtiani nominis Rex potentiſsimus, nobiliſsimusq́ uxorem duceret. Villam quoq; Aldoldi reticere improbum fuerit, nobilitate Iaucurtiorum uenerabilem. Adducor propemodum, ut credam nõ procul ab his locis, Druydum lucos fuiſſe: cuius rei nos admonent uicorũ aliquot nomina à lucis tracta. Cenſentur præterea in mandubijs oppida nõ ignobilia, Monsbarrus (unde matrẽ D. Bernardi originẽ traxiſſe conſtat) Alnetum luci, ſiue Solis, locus pellibus nobilis: quem inhabitaſſe ſcribunt Fauſtum uirum prefectorium, Mandubiorum principem, cuius paulò ante meminimus. Faciunt non uulgares coniecturæ, ut ſuſpicer, hunc locum potius olim dictum ſolis lucum: idq́ nominis oppido Aurelianum indidiſſe: qui ut ipſe ſolem coluit unicè, ita à Diuis aliquot urbes uocitauit, ut diuionem. Accedit, quod ibidẽ Aurelianus ſoli ſacra fecit, quodq́ in numiſmate ſolem inſculpſit. Quale ipſi uidimus argẽteum, in quo Sol biga uehitur radiatus: quodq́ ſoli templum Romæ fecit, & apud Palimiram uicta Zenobia. Huius Aureliani gloriæ, ac felicitatis eſt, quod Diuionis cõditor uulgò agnoſcatur: quæ ciuitas hoc æui celebritatis famã fudit quàm latiſsimè, quaq́ nihil pulchrius inter Burgundiones conſpici poteſt, ſiue ſacrarium illud ſtupendum, ac celans penitus arcana ſacræ religionis quis expendat, ſiue illud iuſtitiæ tribunal: ex quo uelut è ſinu patriæ iura petuntur. Hîc enim iuris officina, oppreſſorum aſyllum, nefariorũ ſcopulus: illic ſacroſanctum paſsi Domini monimentum, quo

*Villaruod.*

*Luci Druydum.*

*Luzi.*

*Luci le boys*

*Alnetũ Luci*

*Mõsbarrus oppidum.*

*D. Bernardi mater.*

*Solis lucus.*

*Pelles eximiæ.*

*Diuio à Diuis.*

*Multis locis Aurelianus templa Soli condidit.*

*Diuio.*

*Diuion. Sacrarium.*

*Diuion. Senatus.*

haud ſcio an ſublimius quicquam ſit intueri, ſacroſan-
Eucharistia — ctum illud (inquam) Chriſtiani uiatici cruſtulum in-
Eugenius — terpretor. Quod ab Eugenio pontifice ſummo, miſ-
pont. Max. — ſum religionis pignus, ac depoſitum Diuionem al-
latum Philippus Pius officij cauſa accurrens reuerē-
tiſsimè excepit, ac aureo Sympulo condi iuſsit, affa-
bre cauato, & admirabili imaginū cælamine obdu-
cto. Munus ſacrū uerbis exornauit Eugenius, quibus
maieſtas, & magnitudo requirit. Cæterùm huius ad-
mirabilis fabricæ ad regiā fundamenta iecit Hugo
Hugonis du — Burgūdię dux, facta cōdendi à Pōtifice uenia. Hugo
cis opus Sa- — autem ille fuit, quē diximus in expeditione Aſiatica
cell. Augu- — interijſſe, qui multis auxit Diuionē immunitatibus.
ſtiſsimum. — Tēpore uerò Pelagij primi Sūmi pontif. & Totillæ
Gothorum regis apud Heduos Gregorius militaris
dux, ac Senator, cū multis annis Auguſtuduno præ-
fuiſſet, defuncta uxore factus eſt Lingonenſiū epiſco-
Benigni cœ- — pus. Hic D. Benigni cœnobiū Diuione magnificen-
nobium quis — tiſsimè in altū euexit. Vbi ſanctiſsimū ſenē Benignū
condidit. — in uincula fuiſſe, credit poſteritas, cùm aduerſus Au-
reliani cæſi edictum Euāgelico præconio inſudaret.
Viſitur etiānum tēplum hoc ornatu magnifico: illic
plenus terroris, ac numinis occulti locus, uaſtū uideli-
cet ſpecus, ueteres criptas, ac ciſternas habens: in quo
uinctū fuiſſe Benignū tradūt, cùm fando, ut dixi, po-
pulū ad Chriſtū traduceret, gentiliū adhuc ſacris in-
dormientē: deinde lōgo carceris ſitu, ac pedore exa-
nimē, ignominioſiſsimis cruciatibus laniatū. Cæte-
rùm pluribus locis in Chriſtiani nominis ignominiā

Aurel

Aurelianus tẽpla dæmonũ eduxit. Vnde urbis nomen emerſiſſe cõtendũt. Hic ſuperuacaneũ fuerit Baſilicarũ conditores, ac ædiũ ueterũ architectos anxiè perſcrutari, cùm in Aurelianicis ſacris operari Chriſtiano ritu poſteà cœptũ ſit, æquioribus ſeculis. Ad hunc ordinẽ refertur Stephani proth. ingens ſeptum ad ſacrariũ Auguſtiſsimum prorſus ſpectans: quod muro undiq; ingẽti attollitur. Magni ſanè principis opus: quẽ tamen nondũ nouiſſe contigit. Porrò extra urbis pomeriũ, dux Audax Chartuſiani inſtituti monachis ſpecioſiſsimũ delubrum condidit, principum Sepulchris deſtinatum: ad quod poſteà aliquot ſunt elati factis ex marmore candidiſsimo tumulis, ſepulchralibus'q; ſtatuis mirè uiuos referentibus: nullum deniq; ornamẽti genus intermiſſum, ſiue monachorum diuerſoriola, ſiue inuſitatæ ſeptũ magnitudinis, ſiue amœniſsimos, irriguosq; hortos ſpectes. Hæc enim ſunt huiuſmodi, ut urbis delitias abũde pẽſare exiſtimẽ. Sed priuſquã inde proficiſcar, certũ eſt paucis ſitum urbis diſpicere. Planities eſt amœniſsima, duobus fluminibus Suzione, atq; Oſcara, utrinque muros alluentibus: ille pericoloſiſsimis alluuionibus urbẽ infeſtare ſolet: hic alueo fluit quietiore, et rerum multarũ uſum ſubminiſtrat. Accedunt muri ad iuſtã propugnandi magnitudinẽ in altũ educti, turribus, propugnaculis immanè quàm ſuperbis, alteq; minãtibus, rotarũq; ſymbolo paſsim inſignibus: quæ nullis tormentorum uiribus, nullo fulmine deiectum iri putẽ. Ea regio ualidiſsima eſt, quæ ad Chartuſiorum

*Templa Dæmonum.*

*Audax chartuſ. condidit cœnobium.*

*Principum ſepulchra.*

*Vrbis ſitus.*

*Suzio.*

*Oſcara.*

monaſterium tendit. Vnde ſuperioribus annis Helvetiorum exercitus, qui arctiſsima obſidione oppidum cinxerat, plurimum exhibuit negotij. Vrbi imminet Talentum arx & natura loci, & arte munitiſſima: cuius præſidio reſtitit hoſtibus ciuitas. In ea, pro limitis cuſtodia perpetuò excubāt limitanei milites. E' regione huius, ſitum eſt Caſtellum, cui à fontibus nomen. Quod Bernardus abba ſanctiſsimus, ſuis clariſsimis illuſtrauit crepūdijs: olim Caſtellionenſium equitum dominis, hodie Christo ædes ſacra. Gregorius Turonū epiſcopus refert Hilarium quendam Senatorē Diuionenſem, adeò uxorem adamaſſe, ut cùm uxor eius inferretur tumulo, qui retrò multis annis obierat, arida iam dextra ſit illius cadauer arctiſsimè complexus. Ego uerò inter ea, quibus mihi præſertim gratulor, præcipuum eſt, quòd illic Turrellium uiderim, non ſola canitie uenerandum ſenem, ſed & aſtrorum, & magicarum artium citra ſuperſtitionem peritia inſignē: cuius opera illic cœperūt literæ meliores caput proferre, ac refloreſcere. Nuythones, quorum præter Cornelium Tacitum nemo amplius meminit, quosq; Burgundionum partem fuiſſe teſtis eſt Nuythlandia, quę in maxima Sequanorum minor Burgundia dicitur, Nuythonium oppidū nō procul Diuione haud dubiè condiderūt in uicino rure. Id ſemper gladiorum opificio celeberrimum fuit. Cui adiacet Belna in agro Heduorum loco uliginoſo, & quæ nullo penè negocio, nulloq; ab hoſtibus diſcrimine, poſsit lacum urbi ad primum lapidem

*Talentum.* *Limitanei milites.* *Caſtellum à fontibus.* *D. Bernardi natalibus illuſtre.* *Hilarius Senator.* *P. Turrellius.* *Nuythones pars Burgūdionum.* *C. Tacitus.* *Nuythlādia in Sequanis.* *Nuythoniū oppidum.* *Belna.*

lapidem offundere, quò hoſtes à ſe ſubmoueat. Vrbs tota ualido mœnium ſepimento circundata propugnacula habet, quibus omnium æneorum, quæ toto orbe conflantur, tormẽtorum uim tutò excipere poſſit. In ea inſigne monimentum pietatis, impẽſis Raulini Burgundiæ olim Archigrammatæi ædificatum eſt Xenodochium, quod Noſotrophij, Ptochotrophij'q; uice ſit. Eſt enim totius Galliæ ampliſsimum. Vrbi cõſultum uolens pijſsimus Raulinus, ne cadaueroſi, pruriginoſi, ſanguinolenti, loripedes, uertiginoſi, comitiales, atq; id genus ſimulachrorum laruaIium, pus, contagionem'q; pro foribus templorum turbis afflarent, hoc publicum opus non æſtimandis impenſis inſtituit. Quod alueus per medium influeret, ut egenorum ſordes, & morborum recremẽta ſecundo flumine efferrentur. Pium mehercle inſtitutum, quo frequens ciuitas ab aëre peſtilenti immunis permanet. Eadem ratione Lutetiæ quoq; conſuluit D. rex: quod noſtra quoque ætate inuictiſſ. Rex Franciſcus, immenſo auxit cœnaculo. Ad quã etiam ſtructuram Antonium Pratenſem Pontif. magnam uim auri prompſiſſe teſtãtur ſtatuæ, cruſiæ'q; undiq; pendulæ. Sed & illic tenuibus alia uia proſpectum: ne lurcones, errones'que famelici inopiæ fuco, atque ægritudinis ſpecie perniciem ciuibus importarent, cautum eſt, ut membris mutili, per ſuos curionatus publicè alerẽtur piorum ſtipe: ualidi autem ad opus extruderentur: qui prius in cœno prouoluti, urentes æſtus, dentium ſtridores, letale frigus, & huiuſmodi

*Xenodochium.*

inhumanæ naturæ multiplicem calamitatẽ perpeti maluiſſent, quàm publicis munijs obeũdis quæſtum tenuem facere. Verùm ciues incendiariorum memores, qui aliquot retrò annis faces ſubdidiſſent Trecaſſibus, eius farinæ ceſſatores, cathenis uinctos, ad egerenda foſſarum rudera damnarunt: ijsq́ ære publico datum pabulũ. Quod utinam regiæ urbis exemplo imitentur Gallicæ urbes, ac tãta pertinacia perſiſtãt, quãto animorum impetu cœptum eſt. Sed Belnam recurro, ualetudinariumq́, in quo ſunt Veſpillones, Sãdapilarij, Polinctores, & Libitinarię, penes quas ſacrę humationis ius eſt. De ſtructura autem quid attinet dicere? quæ regiæ quàmlibet magnificę cõponi iure poſsit. Cæterùm Eudo Burgund. pientiſſ. princeps Chartuſienſibus cœnobitis templum, ac diuerſoria monaſtica, regijs prouentibus ditata, Belnæ exædificauit. Belnenſis ager uites habet toto terrarũ orbe nominatiſsimas, & uino non uulgari nobiliſsimas: de quibus ſi quis plura audire deſideret, aqualiculos illos diſtentos, abdomina, ac ſpongias adeat, quorum uotis raró ingraueſcit annona: quales inter noſtrates nulli prorſus ſunt. In eodem agro uiſitur Ciſtertium à Ciſternis; Odonis ducis opus ſtupendum in uaſtiſsimo nemore. Cuius cœnobiarcham agnoſcunt ſupra mille octoginta uirorum cœnobia, ac totidem propè uelatarum eiuſdem inſtituti: cui moderando immortuus eſt Ioannes Anchemanus auunculus noſter, fato, & fortuna dignus ſecundiore. Fuit enim præter multarum rerum uſum, cui ob-

callue

*Incendiarij mendici.*

*Trecaſsinũ incendium.*

*Veſpillones Sãdapilarij. Polinctores Libitinariæ*

*Chartuſienſes monachi*

*Ager Belnenſis.*

*Vites generoſæ.*

*Belnenſes uentres.*

*Ciſtertium agnoſcũt ſupra mille octoginta uirorũ cœnobia, et uelatarum uirginũ totidem.*

*Ioã. Anchemanus.*

calluerat, eruditionis uariæ: tanta huic linguæ ſuauitas, ut Ogmij Gallici inſtar, etiam reluctantes compendio ad ſe pelliceret. Meminiſtis Burgundionum optimates, quanto uerborum ornatu, quanta oris dignitate ad uos de publicis negotijs, Diuionenſibus comitijs retulerit. Meminiſtis & uos Cuyſellienſes, quibus uos negotiorum fluctibus eripuerit: quoties litigia, rixas'que ueſtras compoſuerit, hoſtiliter'que crebrò iurgantes, in concordiam redegerit: ſi quid enim nubili incidiſſet, ille uelut placidiſsimum ſydus diſcutiebat, neminemq́ patiebatur in ea urbe, cuius primatum gerebat, ſimultates exercere. Huic mehercle debeo, quod nec poſſum, nec debeo diſsimulare, pluſquam mortalium nemini: in cuius memoriam, & ſolatium, hoc tanquam parergon inſerendum putaui. *Ogmium Gallicum.*

Cabillonem agri uberrimi, cœli ſaluberrimi, commemorat Ptolemæus Geographiæ libro ſecundo, capite ſeptimo. A' parte (inquit) orientali Aruernorum, uſque ad ſciſsionem Rhodani fluuij, ad Septentrionem gens Heduorum habitat: quorum ciuitates Auguſtudunum, Cabillinum. Hanc quis initio condiderit ad ripas Araris, mihi nondum conſtat: nam fabulam de tribus Heroibus, eorum'que torquibus in gynecœo natam, ad ocioſos relego. Vrbs eximiè felix, & conuehendis mercimonijs idonea ſecundo Arari: unde hanc parando commeatui Cæſar delegerat: ex qua rem frumentariam ſufficeret exercitui in plures perſæpe parteis diuiſo. *Cabillon.* *Fabula triũ heroum, & trium annulorum.* *Cabillonem cõmeatui parãdo delegerat Cæſar.*

S 4 Quod

Quod & ipſe teſtatur, his uerbis. Profligato ad Alexiam Galliæ totius exercitu, Cæſar Titum Labienũ cum duabus legionibus, & equitatu in Sequanos proficiſci iubet. Huic Marcum Sempronium Rutilum attribuit. Q. Tullium Ciceronem, & Publ. Sulpitium Cabiloni, & Matiſconæ, in Heduis ad Ararim, rei frumẽtariæ cauſa collocat. Ipſe Bibractę hyemare conſtituit. Imperante uerò Clodouæo, illic coactum eſt Chriſtianorum antiſtitum concilium: cuius extat Senatuſconſultum aduerſus Theodoricum Arelatenſem epiſcopum, quo iubetur paſtorali munere ſe abdicare. Eius eſt initiũ. Omnibus ueredica relatione perpatuit, quod nec uos credimus ignoraſſe, quòd glorioſus dominus Clodouęus rex in ſupra ſcripta urbe Cabillone, Octauo calẽdas Nouembris ſynodale præcepit eſſe conciliũ, ubi omnibus nobis, qui in baſilica D. Vincentij pariter ſedẽtes omnibus modis præſtolati ſumus, &c. Vrbem hanc Guntrannus ſibi regiam eſſe iuſſit, additis regij ſumptus ſubſtructionibus: quam Lotharius, Ludouici Pij Aug. filius euertit, cùm in Italiam ſolũ uertere cogeretur, Auguſto patre ex cœnobio in aulã ab optimatibus reuocato: idq; odio Anſelmi Cabilonẽſium comitis: quem procerũ nomine in Lotharium potius, quàm apud Lotharium, orationem habuiſſe ferunt, ciuitatemq; hanc tanto conflagraſſe tùm incendio, ut illic fuiſſe ciuitatem nemo agnoſceret. Miraculo tamen fuit, fanum Georgij nullis incendij facibus, aut tormentis unquam deijci potuiſſe. Sic credibile eſt, illic

*Bibracta.*

*Cabilonenſe concilium.*

*Theodoricus Arelatẽ. Epiſcopus, priuatur in concilio Cabilonenſi.*

*Synodus in æde D. Vincentij.*

*Guntrannus rex Cabilonen. miro amore eſt proſecutus.*

*Guntranni regia.*

*Lotharius Ludo. fil. Cabilo. euertit.*

*Anſelmi Cabilon. principis in Lothariũ oratio.*

*Georgij ædẽ non potuiſſe cõflagrare.*

illi numen ineſſe loco.

Sita; atque exculta prorſus conſimiliter eſt urbs Matiſconenſium, eidemq́ꝫ flumini impẽdens, ponte omnino pari iuncta: ijſdem ſtemmatum anulis inſignita, ac ijſdem artibus dedita, deniq́ꝫ, ſi nomen excipias, undiq́ꝫ ſimillima. Illic primùm cœpit Dominica dies, Chriſtianorum ferijs celebrari, ut uidere eſt ex Guntranni Regis edicto: quod ob regiæ pietatis inſigne argumentum, hîc attexere libuit. Per hoc ſupernæ maieſtatis autorem, cuius uniuerſa reguntur imperio, placari credimus, ſi in populo noſtro Iuſtitiæ iura ſeruamus: & ille pius pater, & dominus, qui humanæ fragilitatis ſubſtantia, ſuo ſemper adiuuare conſueuit auxilio, melius dignabitur cunctorum neceſsitates, ac, quæ ſunt opportuna, cõcedere ijs, quos cognoſcit præceptorum ſuorum monita cuſtodire. Dum ergo pro regni noſtri ſtabilitate, & ſaluatione regionis, uel populi ſolicitudine peruigili, attentius pertractauimus, agnouimus infra regni noſtri ſpatia, uniuerſa ſcelera, quæ canonibus, & legibus, pro diuino timore puniri conſueuerunt, ſuadente aduerſario boni operis perpetrari: & ex hoc proculdubio indignatione cœleſti, per diuerſas ſeculi tẽpeſtates, homines, ac pecora, aut morbo cõſumi cẽſentur, aut gladio, dum diuina iudicia non timentur: atq́ꝫ ita fit, ut admittendo illicita, per ignorantiam multi depereant: & non ſolùm præſentem uitam celerius cogantur amittere: ſed et inferni ſupplicia ſuſtinere. Quod uos ergo ſacroſancti Pontifices, quibus diuina cle-

*Matiſcon.*

*Guntranni regis decretum in Synodo Matiſconenſi de die Dominica.*

mentia poteſtatis paternæ conceſsit officium, ſermo noſtræ ſerenitatis dirigitur, ſperantis, quòd ita populum nobis prouidentia diuina commiſſum frequenti prædicatione ſtudeatis corrigere, et paſtorali ſtudio gubernare, quatenus dum uniuerſi diligendo iuſtitiam conuerſatione præcipua, cum omni honeſtate ſtuduerint uiuere, melius cuncta rerum aduerſitate remota, cœleſti beneficio concedatur tranquillitas temporum, & congrua ſaluatio populorum: & licet abſq; noſtra admonitione ad uos ſpecialiter prædicandi cauſa pertineat, attamen reliquorum peccatis uos omnino credimus eſſe participes, ſi filiorum ueſtrorum culpas nõ aſsidua obiurgatione corrigitis, ſed ſilentio præteritis. Nam nec nos, quibus facultatem regnãdi ſuperni regis commiſit autoritas, iram eius euadere poſſumus, ſi de ſubiecto populo ſolicitudinem non habemus. Idcirco huius decreti, ac diffinitionis generali uigore decernimus, ut in omnibus diebus dominicis, in quibus iuſtè reſurrectionis myſterium ueneramur, uel in quibuſcunq; reliquis ſolẽnitatibus, quando ex more ad uenerãda templorum oracula uniuerſæ plebis coniunctio, deuotionis congregatur ſtudio, pręter quod uictũ præparare cõuenit, ab omni corporali opere ſuſpẽdatur: nec ulla cauſarum precipuè iurgia moueãtur, ſed uos apoſtolici pontifices iungentes uobiſcũ conſacerdotes ueſtros, & filios ſeniores eccleſiæ, ac iudices locorũ, quoſcũq; agnoſcitis, quos uita honeſta, ac qualitas cõmendat, ita uniuerſam populi multitudinẽ conſtãti, uel Deo placita

*O dictum bene.*

*Pium principem.*

*Victum tantùm eſſe diebus Dominicis præparandum.*

placita iugiter prædicatione corrigite,ut & bene ui‑
uentes myſticus adhortationis ſermo mulceat,& ex‑
cedentes ad uiã recti itineris correctio paſtoralis ad‑
ducat, quatenus omnes unanimi deliberatione lau‑
dabiliter ſtudeãt uiuere,& æquitate iuſtitiam cõſer‑
uare, qualiter ab omni peccatorũ ferè liberos ſancta
ſuſcipiat eccleſia Chriſtianos. Enimuero quicunq; ſa
cerdotũ, aut ſecularium in intentione mortifera per‑
durantes,crebrius admoniti,ſi ſe emendare neglexe‑
rint,iuxta quod cõditiones cauſarũ,aut exceſſus per‑
ſonarũ exegerint, illos canonica ſeueritas corrigat,
alios ligatos pœna percellat: quoniã nec innocentes
poteſt reddere collata ſecuritas liberos, niſi certa cul
parum probatio punierit criminoſos: nec minor eſt
pietas propter nos conteri,quàm releuare cõpreſſos.
Cõuenit ergo,ut iuſtitiæ,et æquitatis in omnibus ui
gore ſeruato diſtringat legalis ultio iudicum, quos
non corrigit canonica prædicatio ſacerdotum: quò
fiat, ut dum præterita reſecantur ſcelera, nullus au‑
deat perpetrare futura, & ita uniuerſos excedentes
pro diſciplinæ tenore ſeruando, correctionis frena
conſtringant: ut uniuerſam regionem noſtram pa‑
cis, & concordiæ iura perficiant. Cuncti itaque iu‑
dices,iuſta (ſicut Deo placeat) ſtudeant dare iudi‑
cia: nam non dubium eſt, quòd arctius condem‑
nabit ſententia noſtri iudicij, à quibus non tenetur
æquitas iudicandi. Non uicarios, aut quoſcunque
de latere ſuo,per regionem ſibi commiſſam inſtitue‑
re, uel deſtinare præſumant, qui(quod abſit) malis

operibus conſentiendo uenalitatem exercent, aut iniqua quibuſcunq; ſpolia inferre præſumant. Clericorum tranſgreſsiones, cùm aduerſario inſtigante contigerint, quantùm illis pro diuino amore reuerentia maior impenditur, tantùm conuenit, ut acrius reſecẽtur: quoniam ſi quando ſancti paſtores, aut inſtituti iudices (quod nefas eſt) ſubiectorum ſuorum ſcelera potius occultare, quàm reſecare tẽtauerint, ſe ex hoc amplius reos eſſe, uel noxios non ignorent. Cuncta ergo, quæ huius edicti tenore decernimus, perpetualiter uolumus cuſtodiri: quia in ſancta Synodo Matiſconenſi hæc omnia, ſicut noſtis, ſtuduimus diffinire, quæ præſenti autoritate uulgamus.

*Matiſconenſis tragœdia. Alij Cabillonẽſem dicũt.* Hîc animi gratia ſubit huius ciuitatis tragœdia, quæ ſcripto, & fama apud Gallos uulgatiſsima eſt, fuiſſe Craſsi regis principatu Matiſconis comitem: qui Cluniacenſes monachos in Sacerdotalibus ſibi occurrentes, diris enecauerit cruciatibus, prædijsq;, ac prouentibus exuerit. Cumq; in hunc modum in ſacras ædes debaccharetur, in dieſq; numen immaniter exaſperaret, accidit, ut, dum frequenti procerum conuiuio epularetur, ab ignoto quodã pro foribus euocari: illum uerò, cùm cunctaretur, exire coactum euanuiſſe eueſtigio ab oculis proſpectantium: nec deinceps comparuiſſe. *Gulielmus comes è cõuiuio ab ignoto raptus.* Sunt, qui pullo equo, in aëra ſublatum cum prodigioſo eiulatu ſcribant. Hoc expendant, qui res ſacras in ſuum uertunt compẽdium. Ab utraq; urbe, itineris ſpacio propè equali diſtat Cuyſellum, regiæ ditionis oppidum Secuſianorum, ad *Cuyſellum olim Secuſium.*

radices

radices Iuremontis: quod multis hodie licèt ſit ruinis deformatum, miram tamen præ ſe fert antiquitatem. Secuſium autem oppidum olim uocitatum uidetur uerïſimile: nec enim reclamat Am. Marcellinus, qui ſcribit à Secuſio oppido habere initium Alpes: eſt enim illic Alpium initium, ſi quis cum Strabone Iuram in Alpibus conſtituat. Ad hanc rem fidem quoq; mihi faciunt uicorum proximorum nomina: non me tamen fugit uideri alijs ſecùs, qui Burgund. Secuſiacum, Secuſium olim fuiſſe exiſtimant: ſequimur tamen coniecturas non penitus ſpernendas: nec enim me fallit in Alpibus eſſe Seguſium oppidum (uulgò Suze uocant) uerùm longè aliud eſſe Secuſium, aliud Seguſium. Alibi ſiquidem teſtati ſumus, ſimilitudinem nominum in Cæſarianis crebrò commentarijs fallere: quæ niſi propius ſpectes, in errorem facilè incurras. Oppidum ipſum ab oriente montes habet excelſos, perenneſq; decurrentes: qui limpidas, & potu ſuaues edunt aquas: unde fons ſaluberrimus ex topho, & uaſta rupe, in oppidum longè porrigitur, per ligneos tubos. Mõtes initiò leuiter accliues, generoſum uinum proferunt: quà ſe altius tollunt, denſiore ſaltu horrent: in quo omnis generis feræ ſtabulantur: magnus etiam illic Vrſorum concurſus, qui maturas uuas deglubunt àuidiſsimè. Qui rem herbariam, medicamq; curant, eò aduolare ſolent, atque illic non uulgares herbas legere. Audio enim illic paſsim naſci Elleborum, eiuſq; notæ herbas, ac ſtirpes: accedunt & Boli armeni fodinæ.

*A. Marcellinus.*

*Alpes à Secuſio habẽt initium.*

*Cuyſeau.*
*Cuyſiac.*
*Cuyſance.*
*Cuyſery.*

*Seguſium in Alpibus.*

*Fons ſaluberrimus.*

*Feræ.*
*Vrſi.*

*Herbæ raræ inuentu.*
*Elleborum.*
*Fodinæ Boli armeni.*

Argenti fodinæ. Quinetiam ciuis quidam in argenteas uenas fodiendo incidit, cuius glebas aliquot ipſi uidimus, guttulis argenteis diſtinctas: ex quibus quæſtum non pœnitendum potuit conflare, niſi prouentum ſuperaſſent impendia. Cæterùm ab occaſu, planities ſe in ſinum laxiſsimum pãdit, agri opimi, uberiſq́, qui frugum omnium, fructuumq́ haud parcè ſubminiſtrat annonam. Piſcoſi Lacus. Lacum etiam piſcoſum habet ad primum lapidem ex riuis undique concurrentibus: planities cultura læta, ac uillarum domicilijs frequens. Oppidum ipſum ſtructuris non ita conſpicuis excultũ eſt: ſed incendio, ruiniſq́ lacerum, ut tantùm urbis cadauer agnoſcas. Laus Cuyſelienſium. Ciues rei ruſticæ, quàm negotiationũ, ſtudioſiores, ueterum frugalitatem, ac morum integritatem referunt: procul omni ambitu, ac dolo malo plebs pietati more maiorum dedita, paradoxa illa tragica auerſatur hoſtiliter. Baſilienſis Synodi decreto, illic canonicum collegium inſtitutum eſt: Canonicum Sodalitium. nullum uerò clarius illic nomen habetur, quàm Anchemanorum: Anchemani. quod ad familiæ uetuſtatem, diuitiarumq́ ſplendorem attinet. Hi ſunt Gayanæ Bellijocen. Gayani. familiæ & genere, & neceſsitudine propinqui.

Lingones. Lingones ſilentio præterijſſe, abſque nephario ſcelere, uix poſſumus, cùm illorum agrum à Burgundionibus poſſeſſum, notius ſit, quàm ut probari Vogeſus mons. pluribus debeat. Habitant Lingones in Vogeſo loco edito, ac natura munitiſsimo, non procul à Leucorum, Leuci. Mettenſes. Trecaßij. Mettenſium, Trecaſsiorumq́ue finibus. Lucanus:

Caſtraq́

*Caſtraq́ Vogeſi curuam ſuper ardua ripam,*
*Audaces, pictis prohibebant Lingones armis.*

Audaces mehercle rectè uocantur: ut qui omnium primi, Romanorum iugum excuſſerint. Itaque iure dictum eſt, Gallos cantando, Neronem excitaſſe: quod in Nerone Suetonius prodidit. Sunt, qui id ipſum poſt Vitellij mortem accidiſſe aſſeuerent. Cæterùm Martialis frequēter meminit Lingonum: quos nonnunquam obliquè perſtringit. Occurrunt crebrò apud eundem lanæ, ſaga, tomenta, & Bardocuculli Lingonum. Cuius ſunt uerſus:

*Primi Lingones Rom. iugum excuſſere. Galli Neronē cantando excitarunt. T. Suetonius. Lanæ Lingonum. Saga Ling. Tomenta Lingonum. Bardocuculli Ling.*

*Tomentum, conciſa palus circenſe uocatur:*
*Hæc pro Lingonico ſtramina pauper emit.*

Idem.

*Sic interpoſito uilis contaminat uncto*
*Vrbica Lingonicus Tyrianthina Bardocucullus.*

Idem.

*Vellera Lingonicis accipe raſa ſagis.*

Idem & alibi.

*Lingonicis agedum tumeat tibi culcitra lanis.*

Huius urbis memorabile fuit excidium illud, quo Croſcus rex Vandalorum omnia impietatis, immanitatis'q́ exempla edidit: quorum fuit Deſiderij uiri ſanctiſsimi cædes, pro aris edita: cuius rei Croſcus celebres pœnas dedit. Siquidem dum Arelatenſem agrum effusè uaſtans peruagatur, conciendeq́ ad ſe

*Excidium Lingonum. Croſcus Vādal. rex. D. Deſiderij cædes. Croſci ſupplicium.*

*Martianus.*

multitudini incumbit, à Martiano præſide interceptus, cùm tamen iniquo & tempore, & loco rem uiribus, & audacia diu ſuſtinuiſſet, unius in poteſtatem uenit, ac per uictas, ſpoliatasq́ à ſe urbes cum ignominia tractus, diro ſpectaculo ad necem uſque excruciatus eſt. Inter ea uetuſtatis monimenta, quæ illic uiſuntur, non poſtremum ſibi uendicat locum

*Arcus triumphalis.*

triumphalis arcus, in ipſis mœnibus excitatus, Germanici exercitus cæſi, haud dubiè trophæum. Qui

*Victi exercitus Germanici Trophæum.*

cùm pugnandi copiam Cæſari Conſtantino penè puero feciſſet, pro ipſis mœnibus, ac ſpectante Lingonum urbe obtritus eſt: ad ſexaginta hominum

*Conſtãtinus Imperator.*

millia eo prælio deſiderata: cuius pugnæ pluribus

*Statuæ equorum, uirorumq́.*

locis extãt etiamnum teſtimonia leonum, equorum, uirorumq́ ſtatuæ, uia regia, quæ ad Sequanos pertinet. In eo agro Vandopera eſt, Vandalorum opera

*Vandopera Lingonum.*

extructa, arx ualidiſsima, ac uiſendi operis: in cuius radicibus oritur fons Barcæ, qui in Sequanam ſta

*Fons Barcæ.*

tim iuxta Treaſsios funditur: ſoli uberis, amœniq́, locis cum alba flumine irriguis, tum uerò fructuum omnis generis ad prodigium uſque feracibus, metallorum fodinis frequens, altiſsimis nemoribus, ac ſyluis cincta, armentis, gregibusq́ ditiſsima: Borbo

*Nic. Borbonius poëta.*

nio uerò Poëta longè nobiliſsima: is enim unus eſt, qui ætate noſtra poëticam multis ſeculis intermortuam, feliciſsimè reſtituit: cuius fama iam Europam

*Antiſsiodorum; uel Altiſsiodorũ.*

uniuerſam cum ingenij monimentis peruaſit. Antiſſiodorum recenſet Antoninus in itinerario: Ptolemæo quidem ſub ea nuncupatione ignotum: licet in

quibuſdam

quibuſdam exemplaribus, ubi eius incidit mentio, ita legatur, Antiſsiodorum, ſiue Antricum: cuius nominis meminit libro ſecundo, capite ſeptimo, aut octauo Geographiæ. Iuxta Sequanorum (inquit) Carnotæ, & ciuitates Antricum, Genabum, ſub quibus Pariſij. Ex quibus ſatis colligitur ciuitatem hāc pro temporum uarietate, uarijs appellatam nominibus. Ptolemæi ſiquidem Antricum, Antonini uerò Antiſsiodorū. Cuius uerba ſunt. A Mediolano, per Alpes Gothias, Viennam, inde Durocorduni, &c. Geſſoriacum, &c. Ticinum, Antiſsiodorum, Eurobrica, Tricaſsis. Antricæ autem appellationis uel mons urbi impendens teſtis eſt: qui in hanc diem uulgò Antricus uocatur. Huc etiam pertinet Annacharius, Guntranni regis ætate, Antiſsiodori epiſcopus: qui Synodo priore apud Matiſconem habita, in hæc uerba ſubſcripſit. Annacharius in Chriſti nomine epiſcopus eccleſiæ Antricæ conſtitutionibus noſtris ſubſcripſit. In poſteriore autem, quæ eodem propemodum tempore Matiſcone coacta eſt, idem ſubſcripſit, ſe'que Antiſsiodorenſem epiſcopum appellauit. In Cęſarianis commentarijs neutrum extat, tametſi uetuſtiſsimum oppidum eſſe cū alia multa, tum epiſcopi indicat palatium. Vnde Vellaunodunum appellatum à Cæſare ſuſpicor: nec prius deſinam, quàm quis compertiora doceat: id'que ex eius uerbis facile eſt conijcere. Vellaunodunum (inquit) Senonum oppidum eſt, quò Cæſar altero die ab

*Antricum.*

*Carnotæ. Genabum.*

*Antricus mons.*

*Annacharius eccleſiæ Antricæ epiſcopus.*

*Antiſsiodorum olim Vellaunodunum.*

*Cæſaris uerba.*

Agendico peruenit: & rurſus ab eo biduo Gena-
bum cum legionibus. Quibus uerbis uix adducor,
ut credam Genabo (ſicut permulti exiſtimant) op-
pidum Aurelianenſium deſignari: ſed potius ciuita-
tulam ad Ligerim, quæ uulgò Gyem appellatur.
Fieri enim non potuit, ut Cæſar, quantumuis mili-
tari itinere contenderet, quatriduo Aurelias cum le-
gionibus potuerit peruenire. Nec uerò inter poſtre-
mas huius ciuitatis laudes numerandum, quòd hæc
Imperio Romano Cæſarem genuerit Petrum An-
tiſsiodorenſem Comitem: qui iure uxorio (maſcula
prole prorſus extincta) ad imperium euectus, impe-
rij inſignia ab Honorio Pontifice, in æde Laurentij
accepit: cui imperij titulos inuidens Theodorus La-
ſcaris, qui Alexij Angeli filiam duxerat uxorem, in
medio conuiuio mactandum coniuratis præbuit.
Sunt, qui tradant in nemoroſis Theſſaliæ locis (Tem
pe uocant) captum, in uinculiſ'que diu habitum per-
ijſſe, dum Venetorum inſtinctu, Venetiſ'que naui-
bus ſoluens, aliquot urbes conatur Venetis audien-
tes reddere. Eam ciuitatem, Anglorum inſidijs no-
ctu occupatam, direptam'que Francicarum rerum
ſcriptores tradunt: id'que Ioanne Rege in Angliam
ad uincula perducto: quo tempore in Cabillonen-
ſium Comitum poteſtate fuiſſe perhibetur: cuius di-
tionis tum fuiſſe Iouinium, ac Tornodorum eiuſ-
dem agri oppida. Comitatus uerò titulum à Carolo
magno Cæſare initium habere conſtat, qui ſublato
Carlo

*Genabum uulgò Gyem, nō Aurelias.*

*Petrus comes Altiſsiodoren. Imperator.*

*Theodorus Laſcaris.*

*Iouinium. Tornodorū*

*Quo tēpore comes Antiſsiodori eſſe cœperit.*

Carlomanno fratre auctior factus Hermenaldum Antiſsiodorenſem primum Comitem ſalutauit. Is titulus ſequentibus annis ad reges, unde diuulſus fuerat, rediјt. Ea præclara eſt hodie ciuitas ad ripas Ionæ fluuij amœniſsimi loco decliui, haud dubiè prorſus antiqua, & quæ uini annonam procul diſsitis regionibus largè ſubminiſtret: abundat enim generoſiſsimis undique uitibus. In ea Epiſcoporum ſanctitas enituit: quorum plures extant ſubſtructiones ſacræ, quàm priuata ædificia. Germani opimum cœnobium, ut antiquitate operis, ſic reddituum opulentia, longè cæteris præſtabilius. Huius urbis tibi piјſsime præſul Pontificatum mandarunt Chriſtianiſsimus Rex, & Pontifex maximus: quod precor, ut tibi, urbi'que felix, fauſtum'que ſit. Non procul ab ea ciuitate ad uicum Fontoniacum, Chableyasq; Lotharius Carolus, Ludouicus'que, Ludouici Piј Imperatoris filiј, magna, ac memorabili clade inter ſe dimicarunt: extat'que templum uirgini matri ſacrum, cui à uictoria nomen eſt, cui iunctum eſt ſeptum, ſeu ſepulchretum ingens: ad quod illati feruntur, qui eo conflictu ceciderunt. Locus ille uallis Caroli à uictore Carolo dicitur.

*Hermenaldus primus Comes.*

*Iona fluuius*

*Vini annona ab Antiſsio. petitur.*

*Vicus Fontoniacus.*

*Chableyæ.*

*Pugna ad Fontoniacũ et chableyas inter fratres*

*Templũ ad uictoriam.*

*Vallis Caroli.*

Longitudo Sequanorum, à Rheno ad Rhodanum uſq; porrigitur: latitudinẽ uerò à monte Iura ad Lingonas ſpectare tradunt: montem uerò Iuram infra Brugas oppidũ initium habere ad Arolã flumen in Heluetiјs; deinde rectà ad occaſum ſecũdum Aro-

*Sequani.*

*Iura, aut Iuraſſus.*

*Arola fluuius.*

lam, ad Saladorum progreditur, deinde ad Bipennes oppidum, ad Nearim uulgò Nouumcaſtrum, deinde ad Occaſum, & Meridiem deflectit, uſque Geneuam, ac ultro etiam in Secuſianis. Secuſiani uerò ſunt inter Rhodanum, & Ararim: ſunt & Seguſiani in Graijs Alpibus, apud Ptolemæum. Liber uerò prouinciarum, quinque Sequanorum ciuitates ponit, Metropolim, Veſuntium, Neuidunum, Equeſtrium, Auenticum Heluetiorum, Noideuolex. Auenticus, iuxta Lacum Gebennarum, forſan Loſanna. Vtraque enim urbs Antuatium nomine, limite'que compræhenditur. Baſilea. Porrò Veſuntionem Sequanorum Ptolemæus Viſuntium uocat, uulgus Biſuntium. Hæc longè antiquiſsima, & inclyta ciuitas, uetuſtate originis, & imperij magnitudine, claritate'que, ante reliquas huius prouinciæ Sequanicæ urbes commemoranda, poſterioribus temporibus, ob elegantiam dicta eſt Chryſopolis: nam & Iulij Cæſaris ætate Veſontionem dictam, teſtis ipſe eſt locupletiſsimus. Credibile itaque eſt, appellationem huiuſcemodi Græcam inuectam, cùm cœpiſſent Senatoribus, uiris'que clariſsimis tunc prætorio præfectis Galliarum ſubeſſe Sequani: nam inter prouincias Romanorum pertinentes ad Germaniam ueterem à Gallica Rheni parte, Maxima fuit Sequanorum, quæ Heluetios, ut Rhenanus teſtatur, Rauricos, Sequanos interiores, ac exteriores, ſiue Ciſiuranos complectebatur. Dicta autem maxima

*Nearis, id eſt Nouocaſtrum.* *Secuſiani.* *Seguſiani.* *Liber Prouinciarum.* *Quinq; Sequanorum ciuitates.* *Veſuntio.* *Neuidunum* *Equeſtr.* *Auenticum Heluetioru.* *Noideuolex* *Loſanna.* *Antuates.* *Nantua uulgò.* *Baſilea Sequanorum.* *Ptolemæus.* *Veſuntio metropoli.* *Chryſopolis Veſuntio dicta.* *Maxima Sequanorum.*

xima, ſubaudi prouincia Sequanorum: quòd fuerit amplißima. Sequani autem omnes præſidem habebant Veſuntionenſem, qui unus fuiſſe dicitur ex eo numero, quem Romani in occidente habuiſſe dicuntur: ad quorum ſimilitudinem uidentur deſignati archiepiſcopi, ut beatus Rhenanus fuſius docet: nam & Sungani, & Baſilienſes, qui olim Sequanorum nomine cenſebantur, hodie ſunt archiepiſcopi Veſuntionenſis ſuffraganei. Fluuius, qui oppidum propemodum tanquam circino circunductus ambit, à Ptolemæo Dubius nominatur. In eo fluuij nomine mirè uariant Cæſariani codices. Sũt enim, qui Alduasbim, alij Alduasdubim habeant. Oritur non procul ab Arari: Dolam ductili alueo, ueluti ſalutans lambit: deinde per Nauillium, Læteum'que uicum apud Viredunum Ararim ingreditur. Fluuius hic tanto ſe impetu in præceps uelut deuoluit, ut paucis, aut nullis nauigijs aptus uideri queat. Araris tamen lenitate (quæ tanta eſt, ut in utram partem uergat, uix depræhendi poſsit) cohibetur, ac utrumque alterutrius auxilio adiuuatur: quod enim lenta Araris mora detinet, illius uelocitas impellit, ac remorum uice fungitur. Sic fit, ut uehendis annonis, aut commeatibus, princeps fluuiorum Araris, rectè mea quidem ſententia dici poſsit. In Sequanis uerò ſunt pleraque non ignobilia oppida, Dola, Salinæ, Pollinum, Gyacum, Ledon, Nozeretum, Orgelium, Phanum D. Claudij, Grandiuallium, Ve-

*Præſes Sequanorum.* *Flu. Dubis.* *Alduasdubis.* *Viredunum.* *Rapidus Dubis.* *Lētus Arar.* *Vrbes Sequanorum.*

zaurium, Arelatium, Phanum Amoris, Arboſium, & id genus plurima, quæ pluribus proſequi non licuit, præſertim cùm regiam Burgundiam mihi ſolam propoſuerim, notiorem'que efficere contenderim.

*Hæc hactenus.*

# INDEX RERVM ILLVSTRIVM, QVAE *in hoc Libro paſſim reperiri poſſunt. Paginis autem diſtincti ſunt numeri, non ſingulis quibuſque foliis.*

*


A

AB Aquilone omne malum. Pagina 16
Aëria 103
Alcimœus 8
Alduasdubis 157
Alexia hodie non extat 133
Alpes à Seguſio habent initium. pagina 142
Alpium Regnum in prouinciam redegit Nero 34
Alpes qua parte Annibal tranſijt pagina 35
Angloſaxones 15
Antiſsiodorum, vel Altiſsiodorus 152
Antiſsiodorum olim Vellaunodunum 153
Antiſsiodori Comes quo tempore eſſe cœpit 154
Antricum 153
Antricus mons ibidem
Antuates 156
Aquæ Sextiæ 102
Apud Aquas Sextias Cymbri fuſi ſunt à Mario 103
Arar lentus 157
Araris pontem quis extruxit 115
Arelate Burgundiæ olim Regia. pagina 99
Arelate Colonia Sextanorum ibidem
Arelate unde dicta 100
Arelate quo tempore in Burgundionum poteſtatem venit 101
Argentoratum 8
Arioviſtus in Sequanis uictus 21
Arola fluuius 155
Artobriga 8
Arudes 14
Aſcaricus, & Ragaiſus reges Francorum in Germania 8
Auenio 103
Auenticus 156
Auguſtinus ad Anglos miſſus 84
Auguſtudunum 121
Auguſtuduni quæ celebria ſunt, & antiqua 126.127.128


V 4 Auguſta

Auguſta Acilia 8
Auraſia 103
Auraſiæ principatus 88
Auraſiæ princeps Philibertus Ca billonenſis ibidem
Auraſiorum theatrum lateritium pagina 104
Aurelianus cognomento, Manu ad ferrum. 32

B

Bellaius Langeius pagina 35 & 66
Belna 140
Belnenſe vinum 142
D. Bernardi mater vnde oriunda 137
D. Bernardi locus natalis 140
D. Bernardus, & quo tempore vixerit 91
Boij 14
Boſo rex 54
Boues agreſtes 99
Bragodurum 9
Brunechildis Regina 82. & 128
Burgi caſtra 6
Burgus Secuſianus 36
Burguſiones 6
Burgundiones Germanici generis 5
Burgundiones vnde dicti ibidē
Burgundiones pars Vandalorum ibidem
Burgundiones à Burgis dicti 5
Burgundiones uicti à Gothis 6
Burgundionum uires Tyberio ſuſpectæ 7
Burgundiones à Tyberio, & Druſo oppugnati ibidem
Burgundiones ex qua gente orti pagina 10
Burgundionum prima inter Alemanos immigratio 17
Burgundiæ terminales lapides ibidem
Burgundionum irruptio in Galliam 26
Burgundionum regnum 29
Burgundiones in Prouincia Romana 30
Burgundiones Belgicam infeſtarunt ibidem
Burgūdiones ab Auguſto ad Leonem vſque Cæſarem celebres. pagina 33
Burgundiæ populi 34
Burgundiæ Reges 37
Burgundia ſine Regibus ibidem
Burgundiæ Rex primus Gundiochus ibidem
Burgundionum opera vſi Romani 38
Burgundiones in Italiam 40
Burgundia ad Francos 45
Burgundiæ regno Alpes adiectæ pagina 46
Burgundiæ regni initium ibidē
Burgundiæ veteris caput 47
Burgundia antiqua ibidem
Burgūdia deſijt eſſe regnum poſt Radulphum 49
Burgūdia quo tempore regnum eſſe deſijt 51
Burgundiæ ſtatus poſt Reges 52
Burgūdiæ ducis magiſtratus perpetuus

petuus ibidem
Burgundiæ primus dux 57
Burgundiam quo iure ſibi Galli vendicant ibidem
Burgundiæ dux Ioannes interfectus 62
Burgundiam ſemper penes Francos Reges fuiſſe 64
Burgundiones Francorum appellatione cenſeri 65
Burgundiones Francorum beneficiarij ibidem
Burgundionum dux Primarius Patritius ibidem
Burgundionum mores, & forma 67
Burgundiones ſtupidi, & ſimplices ibidem
Burgundiones voraces ibidem
Burgundiones butyro comam olim perluebant 68
Burgundiones allia, & cepas in delicijs habebant 69
Burgundiones ſeptipedes ibidē
Burgundionum ſerici ventres ibidem
Burgundiones agricolæ magiſtratus creabant ibidem
Burgundionum magiſtratus uulgò Demagogi dicebantur 70
Burgundiones iuris Italici ibidē
Burgundionici equi ibidem
Burgundionum ſigna militaria eleuro nota erant 71
Burgundionum religio 72
Burgundiones cruce D. Andreæ in bellicis expeditionibus vtebantur 75
Burgundionum res geſtæ memorabiles 80
Burgundionum victoria contra Gothos ibidem
Burgundiones Italiam inuadunt pagina 81
Burgundionum familiæ illuſtres pagina 87
Burgundionum Regum familia à Gothis 88
Burgundionum lingua 92
Burgundiones vſi lingua ſua Germanica 96
Burgundiones eſculenti 98

C

Cabillo pagina 141
Cabillonis memorabilia 143 144.145.
Cabillonenſes 88
Cabillonenſium inſigne erat Cornu venatorium ibidem
Cabillonenſis Comes à Dæmone raptus 89
Cargali 14
Carilochum cœnobium 55
Carinus Iulianus 33
Carnotæ 153
Carolus dux Burgundiæ, Comitatum Ferratenſem à Sigiſmūdo Auſtrio emit 50
Carolus quintus Rex Franciæ Philippum fratrem Burgundiæ ducem ſalutat 62
Catamantales Sequanorum Princeps 11
Cathalaunica pugna 39

Cæſaribus olim templa ponebantur 100
Cemenni montes 103
Chableyæ 155
Chilpericus 39
Ciceronis mater ab Heluijs Aruernis oriunda 23
Ciſtertium 141
Ciſtertium cœnobium quis condidit 59
D. Claudius ex qua gente ortus pagina 94
D. Claudij cœnobium quis extruxit 76
Clodomyri mors 44
Clodomyrus victus 81
Clotharius Galliæ Rex 46
Clothildis 64
Clothildem vxorem Clodouæus petit 40
Cluniacum 76
Conſtantinus Imperator 151
Coronia 40
Corrodunum 8
Croſcus Vandalorum Rex 150
Cuyſellum 148
Cuyſeau 149
Cuyſiac ibidem
Cuyſance ibidem
Cuyſeri ibidem
Cuyſellenſium laus 150
Cymbri, ac Theutones Germani 13

D

Diocletianus in Gallia pagina 32
Diuio vrbs vnde dicta 137
Diuionis conditor ibidem
Diuionis res ſpectabiles, & antiquæ 137.138.139.140.141
Duria fluuius 58
Druentia 103
Druydes Heduorum 112
Druydum ritus, & ſcholæ 123
Druydas Tyberius ſuſtulit ibidem
Druydum ſacra 124
Druydes apud Carnutes 125

E

Egidius Claronnenſis pagina 98

F

Flandorum clades ad Roſeas aquas pagina 90
Fodinæ boli Armeni 149
Fodinæ argenti 150
Fons Barcæ 152
Franci 14
Franci Reges ibidem
Francorum res geſtæ ibidem
Francorum Regum laus 18
Franciſcus Valleſius Galliæ Rex antiquitatis ſtudioſus 105

G

Gallia æmula eloquentiæ Romanæ pagina 99
Galliæ à Cæſare victæ annus pagina 136

Galliæ

Galliæ ſtatus ante Burgundionum aduentum 19
Galliarum coniuratio aduerſus Cæſarem 134
Galli à Germanis orti 15
Galli vſum aratri inuenerunt pagina 95
Galli à Phocenſibus Græcas literas acceperunt 94
Gallicus Helleniſmus ibidem
Gallicanæ prouinciæ 19
Gallorum quædam verba antiqua 96
Gallienus Imperator 32
Genabum 154
Germanorum quinque genera 5
Germanorum paucæ vrbes 9
Germaniæ caſulæ ibidem
Germani iunctas inter ſe ſedes pati non ſolebant ibidem
Germaniæ multos populos in Galliam penetraſſe 13
Germanicas eccleſias ditauit Radolphus Rex 79
Gothi in Belgica 15
Gothomarius 39
Gundemarus 41
Gundebadus 39
Gundegiſillus ibidem
Gundegiſillus cæſus 41
Guntranni ſomnium 78
Guntranni Regia 144

H

Hedui Mediolanum condiderunt pagina 133
Hedui fratres populi Romani appellati 133
Hedui obſides dant Sequanis pagina 22
Hedui, & Sequani Principes factionis in Gallia, tempore Cæſaris ibidem
Heduorum conſanguinei 25
Heduorum ciuitas prouinciarum mater 131
Heduorum antiquitates 129.130 131.132.133.
Heduorum duo excidia memorabilia 129
Hermenaldus primus Altiſsiodorenſis 155

I

Iulianus in Gallia pagina 32
Iona fluuius 155
Ioannes Viennenſis 90
Iouinium 154
Iſar 108
Iura mons 155

L

Lactantius Firmianus in Gallia docuit pagina 98
Leodium euertitur 65
Ligurinus Poëta 48
Limitanei milites 28
Limitantes ibidem
In limitibus octo regiones ibidẽ
In limitibus ingentes muros Romani erigebant ibidem
Limitum cuſtodes 56
Lingones 150

Lingones rebus multis celebres pagina 151
Lingonum excidium ibidem
Loſanna 156
Lotharingia 154
Luci Druydum 137
A' Lucis multæ vrbes nominatæ apud Burgundiones ibidem
Ludouicus iunior Comitatum Cabillonenſem duci Burgundiæ dedit 50
Lugdunum 109
Lugdunum quis condidit 110
Lugduni certamen Græcæ,ac Latinæ linguæ 98
Lugdunenſis ara 110
Lugduni quæ celebria,& antiqua habeantur 110.111.112.113
Lugduni templum maximum erexit Ioannes rex Burgundiæ 77
Lugdunēſes Senatores Romæ 118
Lutetia caſtellum Pariſiorum 24
Lutetiæ Iulianus Auguſtus Imperator ibidem
Lutetia Pariſiorū ad Lugdunenſem Senoniam pertinebat 23
Luxonium 77

M

Marcelli cœnobium pagina 78
Marcomyrus Francorum rex 14
Marthenac 34
Maſsilienſis Reſpublica antiqua pagina 101
Matiſcon 145
Matiſconenſis Synodus ibidem
Matiſconenſis Tragœdia de Comite à Diabolo rapto 148
Maxima Sequanorum 18
Mediolanenſes Matronæ in prædam Burgundiæ datæ 81
Memorabile de Mediolanenſibus 49
Mohachorum vita vitijs plena 79

N

Nantuates pagina 34.156
Nearis 156
Nemauſum oppidum 104
Nemauſi amphiteatrum ibidem
Nemauſi Plotinæ Baſilicæ 38
Nemetes 13
Neuidunum 156
Nicolaus Borbonius Poëta 152
Noideuolex 156
Nortmanni 85
Nuythonium oppidum 140

O

Ogmius Gallicus pagina 143
Oliuo caſtellum Ducis Sequanici 23
Othp dux 86
Ouum anguinum 125

P

Pacatus pagina 29
Petrus Comes Altiſsiodorēſis Imperator 154
Petrus à Rupeforte 89
Petrus Turrellius 140

Philippus

Philippus audax cur dictus 85

Phocenſes ſacra Dianæ in Galliam inuexerunt 100

Phocenſium Coloniæ multæ in prouincia Romana 101

Pilati fabula 107

Piſonium 8

Poſthumus Tetricus 34

Præſides triginta in Occidente 30

Probus in Gallia 34

Prouinciæ Dux ibidem

Prouinciarum vicarij ſeptem ibidem

Pugna Pictauenſis 87

Q

Quari pagina 103

R

Regales Regum filij dicti pagina 17

Remigius 73

Rhenum vltra nullæ ciuitates 10

Rhenus in Sequanis fluit 21

Rhodanus 103

Rhodanici limitis dux 20

Roxani 11

S

Salaſsi pagina 35

Salica Lex à Salijs, non à Sale 66

Salica lex ad Burgundiones pertinet ibidem

Salij Franci dicti 35

Salies ibidem

Scholæ publicæ in Prouincijs Romanis 96

Secuſiani 156

Seguſiani ibidem

Seguſium in Alpibus 149

Semurium oppidum 154

Semuriani 91

Semurianum cœnobium 58

Sequanici Limitis dux 20

Sequani Heduorum hoſtes 22

Sequani 155

Sequanorum quinque ciuitates 156

Sequanorum Baſilea ibidem

Sequanorum maxima ibidem

Sequanorum vrbes 157

Sequanorum præſes ibidem

Serapion 80

Sidonius Apollinaris Aruernorum Epiſcopus 6

Sigiſmundus Rex Burgundionum 43

Somno, & Marcomerus Francorum Reges 14

Stilico Vandalus 12

Stilico Gothos vicit ibidem

Subtarus 73

Sueuorum centum pagi 9

Surgas fluuius 103

T

Talentum arx pagina 140

Theodorus Laſcaris 154

Tornodorum ibidem

Triboci 13

Tricorij 103

D. Trophimus 100

Turnonium 30
Turnonium vinum 109

V

Valatum pagina 8
Valentinianus 53
Valeſia inferior 54
Vallis Caroli 155
Vandalum oppidum 103
Vandali vbi 10
Vandalicæ vrbes ibidem
Vandali Pyratæ 11
Vandali Leonem Imperatorem nauali pugna vicerunt ibidem
Vandaluſia 12
Vandali in Betica Hiſpania ibidem
Vandali primi Germanorum 13
Vandopera Lingonum 152
Vangiones 13
Vbij, & Sycambri ibidem
Vellaunodunum 153
Vergobretus Heduorum 95
Veſontio 28
Veſontio dicta olim Chryſopolis 49
Vezelaium 77
Vicus Fontoniacus 155
Vienna 105
Vienna biennio condita 107
Viennæ pontem quis extruxit ibidem
Viennæ quæ celebria habeantur 108
Viennenſium rixa cum Lugdunenſibus 106
Viennenſe vinum picem reſipiens 109
Vierg 95
Vrbes à Gallis in Italia conditæ pagina 133

FINIS.

VITTORIO EMANUELE

by Google